

6
17 - d
62



Digitized by Google

15.

SELECTÆ
HISTORICORUM
CONCIONES, ET POETARUM
TUM VETERUM, TUM RECENTIORUM
SELECTISSIMA CARMINA

PRO

HUMANITATIS

ET RHETORICÆ STUDIOSIS

PARS PRIMA,

Quæ complectitur Selectas Conciones.





VENETIIS,

TYPIS FRANCISCI PITTERI



MDCCLXXII.

Superiorum permissu, ac Privilegio.

1915

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.





Jamdiu in Scholis usus invaluit, ut Adolescentibus, qui ad eloquentiam informandi sunt, Ciceronis tantummodo Orationes exhibeantur. An satis autem hoc uno utilitati Adolescentium consulatur, non immerito dubitare quis poterit. Ubi enim longa oratio, diuque elaborata ex illustri loco habenda sit, nemo quidem sibi alium potius, quam Ciceronem Oratorum Principem imitandum proposuerit. At quotus quisque est, cui sæpius orationes hujusmodi instruendæ sint, atque exornandæ? Contra vero in

communi, ac quotidiana vivendi consuetudine quam sæpe evenit, ut aliquem laudare oporteat, vel objurgare, a vitiis absterrere, vel ad virtutem erigere; ut suadendum aliquid sit, vel dissuadendum; ut aliquis sit accusandus, vel ab aliorum criminibus liberandus? Quæ quidem omnia cum non longo verborum ambitu exornanda, sed breviter perstringenda sint, eorum exempla haud facile apud Tullium reperias. Non ego tamen negare ausim, si quis forte Tullianas orationes diu, diligenterque versaverit; ut in longo illo, atque elaborato dicendi genere, ita in hoc quoque breviori, subito, ac familiari, eum magnopere præstiturum. Sed quod inde non nisi labore improbo, diuturnoque studio sperare possent Adolescentes, id quidem facilius assequentur, si peculiaria hu-

jus quoque generis iis exempla propoſuerimus. Ea porro unde potius, quam ex Hiſtoricis deſumenda? In rem igitur Adoleſcentium facturos nos eſſe magnopere exiſtimavimus, ſi exquiſitas aliquot Hiſtoricorum conciones iis exhiberemus, ut dum ex Tullii Orationibus magniloquam, quæ aliquando opus eſt, eloquentiam hauriunt, ex hiſce quotidianam breviter, ſed apte, appoſiteque dicendi rationem perdiſcant. Eo conſilio cujuſque Orationum generis non unum, ſed plura exempla delegimus, ne quid in hac re amplius deſideraretur. Plura adhuc, ſi libuiſſet, excerpere potuiſſemus; ſed illud quoque cavendum erat, ne in ampliorem fortaſſe molem volumen excreſceret. Ea tamen, quæ tradidimus, ſatis, ſuperque ſunt, ſi ab Adoleſcentibus ea, qua par eſt, diligentia perpendantur, at-

que addiscantur. Quod si quis plura desideret, Orationes ille ex Historicis Latinis collectas sibi comparet, quas Cl. Ab. Millot in Regio hoc Athenæo Historiæ Professor quinque ab hinc annis Lugduni edidit, Gallica insuper elegantissima versione exornatas, ex quibus etiam eas decerpsimus, quas huc potissimum conferendas esse exïstimavimus.

ORA-

ORATIONES E LIVIO EXCERPTÆ.

ORATIO I.

P. HORATII AD POPULUM,

Pro Filio, qui cæsis Curiatiis Sororem ipsam interfecerat, quæ cum uni ex Curiatiis desponsa fuisset, ejus interitum immodice deflebat.

HUNCCINE, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? Quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I, lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium Populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus. Arbori infelici suspende: verbera vel intra pomœrium, modo inter illa pila & spolia hostium; vel extra pomœrium, modo intra sepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta fœditate supplicii vindicent?

ORATIO II.

MUTII SCÆVOLÆ AD PORSENAM.

Porsena Clusinorum Rex Romam obsidebat. Cajus Mutius Romanus adolescens ejus castra ipsum interfecturus ingreditur. At cum eum minime nosset, Scribam pro Rege obtruncat. Comprehensus quid animi habuerit impavide Porsenae profitetur.

Romanus sum civis: C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui. Nec ad mortem minus animi est, quam fuit ad caedem. Et facere & pati fortia, Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo; ferrum hostemque in vestibulo habeas Regiae. Hoc tibi Juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum praelium timueris, Uni tibi, & cum singulis, res erit.

ORATIO III.

VETURIÆ AD FILIUM CORIOLANUM

Patriam Volscorum armis obsidentem.

Sine, priusquam complexum accipio, sciam, ad hostem, an ad filium venerim: captiva, materne in castris tuis sim. In hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? Non, quum in conspectu Roma

fuit, succurrit, intra illa mœnia domus ac Penates mei sunt, mater, conjux liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur. Nisi filium haberem, libera in libera Patria mortua essem. Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius quam mihi miserius possum; nec ut sim miserrima, diu futura sum. De his videris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet.

ORATIO IV.

T. QUINTII CAPITOLINI AD POPULUM.

Cum Patrum, ac Plebis discordiæ Civitatem distraherent, Æqui, Volscique Romam populabundi accessere. Tribunis delectum militum nihilominus impedientibus, Quintius Consul Populum ad concionem vocavit, eumque ita objurgavit.

ETsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum; tamen cum pudore summo in concionem vestram processi. Hoc vos scire, hoc posteris memoriæ traditum iri, Æquos & Volscos vix Hernicis modo pares, T. Quintio quartum Consule ad mœnia urbis Romæ impune armatos venisse. Hanc ego ignominiam (quanquam jamdiu ita vivitur, is status rerum est, ut nihil boni divinet animus) si huic potissimum imminere anno scissem, vel exilio, vel morte (si alia fuga honoris non esset) vitassem. Ergo si viri arma illa habuissent, quæ in portis fuere nostris, capi Roma me Consule potuit? Satis honorum, satis superque vitæ erat. Mori Consulem tertium oportuit.

Quem tandem ignavissimi hostium contemsere? Nos Consules, an vos, Quirites? Si culpa in nobis est, auferte imperium indignis: & si id parum est, insuper pœnas expetite. Si in vobis, nemo

Digitized by Google

Deorum nec hominum ſit, qui veſtra puniat peccata, Quirites: voſmet tantum eorum pœniteat. Non illi veſtram ignaviam contemſere, nec ſuæ virtuti confiſi ſunt: quippe toties fuſi fugatique, caſtris exuti, agro mulctati, ſub jugum miſſi, & ſe & vos novere. Diſcordia Ordinum eſt venenum urbis hujus; Patrum & plebis certamina: dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis eſt modus, dum tædet vos Patriciorum, nos plebeiorum Magiſtratuum, ſuſtulere illi animos.

Pro Deum fidem, quid vobis vultis? Tribunos plebis concupiſtis. Concordiæ cauſa conceſſimus. Decemviros deſideraſtis. Creari paſſi ſumus. Decemvirorum vos pertæſum eſt. Coegimus abire Magiſtratu. Manente in eoſdem privatos ira veſtra, mori atque exulare nobiliſſimos viros honoratiſſimoſque paſſi ſumus. Tribunos plebis creare iterum voluiſtis. Creaſtis. Conſules facere veſtrarum partium, etſi Patribus videbamus iniquum: Patricium quoque Magiſtratum plebi donum fieri vidimus. Auxilium tribunitium, provocationem ad populum, ſcita plebis injuncta Patribus, ſub titulo æquandarum legum noſtra jura oppreſſa tulimus, & ferimus. Qui finis erit diſcordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc eſſe Patriam licebit? Victi nos æquiore animo quieſcimus, quam vos victores. Satiſne eſt, nobis vos metuendos eſſe? Adverſus nos Aventinum capitur, adverſus nos ſacer occupatur mons. Eſquilias quidem ab hoſte prope captas, & ſcandentem in aggerem Volſcum hoſtem nemo ſubmovit. In nos viri, in nos armati eſtis. Agite dum, ubi hic curiam circumſederitis, & ferum infeſtum feceritis, & carcerem impleveritis principibus; iiſdem iſtis ferocibus animis egredimini extra portam Eſquilinam: aut, ſi ne hoc quidem audetis, ex muris viſite agros veſtros, ferro ignique vaſtatos, prædam abigi, fumare incenſa paſſim tecta.

At

At enim communis res per hæc loco est pejore: ager uritur, urbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem privatæ res vestræ quo in statu sunt? Jam unicuique ex agris sua damna nunciabuntur. Quid est tandem domi, unde ea expleatis? Tribuni vobis amissa reddent ac restituent? Vocis verborumque, quantum voletis, ingerent & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum. Sed ex illis concionibus nunquam vestrum quisquam re, fortuna domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad conjugem & liberos, præter odia, offensiones, simultates publicas privatasque? a quibus semper non vestra virtute innocentiaque, sed auxilio alieno tuti sitis. At hercules, quum stipendia nobis Consulibus, non Tribunis ducibus, & in castris, non in foro faciebatis, & in acie vestrum clamorem hostes, non in concione Patres Romani horrebant: præda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum, gloriæque simul publicæ, simul privatæ, triumphantes domum ad Penates redibatis: nunc oneratum vestris fortunis hostem abire finitis. Hærete affixi concionibus, & in foro vivite. Sequitur vos necessitas militandi, quam fugitis. Grave erat in Æquos & Volscos proficisci? Ante portas est bellum. Si inde non pellitur, jam intra mœnia erit, & arcem & Capitolium scandet, & in domos vestras vos persequetur. Biennio ante Senatus delectum haberi, & educi exercitum in Algidum jussit. Sedemus desides domi, mulierum ritu inter nos altercantes, præsenti pace læti, nec cernentes ex otio illo brevi multiplex bellum rediturum.

His ego gratiora dictu alia esse scio: sed me vera pro gratis loqui, etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites: sed multo malo vos salvos esse: qualicunque erga me animo futuri estis. Natura hoc ita comparatum est, ut qui apud multitudi-

nem sua causa loquitur, gratior eo sit, cujus mens nihil præter publicum commodum videt: nisi forte assentatores publicos, plebicolas istos, qui vos nec in armis, nec in otio esse sinunt, vestra vos causa incitare & stimulare putatis. Concitati, aut honori, aut quæstui illis estis: & quia in concordia Ordinum nullos se usquam esse vident, malæ rei se, quam nullius, turbarum ac seditionum, duces esse volunt. Quarum rerum si vos tædium tandem capere potest, & patrum vestrosque antiquos mores vultis pro his novis sumere, nulla supplicia recuso, nisi paucis diebus hos populatores agrorum nostrorum fusos fugatosque castris exuero, & a portis nostris mœnibusque ad illorum urbes hunc belli terrorem, quo vos nunc attoniti estis, transtulero.

ORATIO V.

CAMILLI AD PÆDAGOGUM,

Qui, dum Camillus Faliscos obsidebat, Principum Civitatis liberos proditorio animo ad eum perduxerat.

NOn ad similem tui nec populum; nec Imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, quæ pacto fit humano, societas non est; quam ingeneravit natura utrisque, est, eritque. Sunt & belli, sicut pacis, jura: justeque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus non adversum eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur; sed adversus armatos & ipsos, qui nec læsi, nec lacessiti a nobis, castra Romana ad Vejos oppugnarunt: Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti. ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Vejos, vincam.

ORA-

ORATIO VI.

LEGATORUM FALISCOS ROMANIS DEDENTIUM.

Camillus his dictis proditorem vinctum ad Faliscos remisit. Ea re commoti Falisci Legatos Romam misere, qui urbem Romanis dederent.

PAtres Conscripti, victoria, cui nec Deus, nec homo quisquam invideat, victi a vobis & Imperatore vestro, dedimus nos vobis: rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris victuros. Eventu hujus belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quam præsentem victoriam, maluistis: nos fide provocati, victoriam ultro detulimus. Sub ditione vestra sumus. Mittite, qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei nostræ, nec nos imperii vestri pœnitebit.

ORATIO VII.

ANNIBALIS AD SUOS MILITES.

Annibal superatis Alpibus, militum animos spectaculo incitare cupiens, captivos aliquot inter se depugnare jussit, libertate victori proposita. Dum dimicarent, is habitus animorum inter spectantes Pœnos vulgo erat, ut non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudaretur. Tum Annibal, advocata concione, ita locutus fertur.

SI quem animum in alienæ sortis exemplo paulo ante habuistis, eundem mox in æstimanda sor-

fortuna vestra habueritis; vicimus, milites. Neque enim spectaculum modo illud, sed quædam veluti imago vestræ conditionis erat. Ac nescio an majora vincula, majoresque necessitates vobis, quam captivis vestris fortuna circumdederit. Dextra lævaque duo maria claudunt; nullam, ne ad effugium quidem, navem habentibus: circa Padus amnis major ac violentior Rhodano, a tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac vigentibus transitæ. Hic vincendum aut moriendum, milites est, ubi primum hosti occurristis. Et eadem fortuna quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne a Diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent. Quicquid Romani tot triumphis partum congestumque possident, id omne vestrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem agite: cum Diis bene juvantibus arma capite. Satis adhuc in Lusitaniæ Celtiberiæque montibus pecora consectando, nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis. Tempus est jam opulenta vos ac ditia stipendia facere, & magna operæ pretia mereri; tantum itineris per tot montes fluminaque, & tot armatas gentes emensos. Hic vobis terminum laborum fortuna dedit: hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaveritis victoriam fore. Sæpe & contemtus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi Regesque perlevi momento victi sunt. Nam demto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est, cur illi vobis comparandi sint? Ut viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam; ab Herculis columnis, ab Oceano, terminisque ultimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniæ & Galliæ popu-

populos, vincentes huc pervenistis. Pugnabitis cum exercitu tyrone, hac ipsa æstate cæso, victo, circumsesso a Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignorantique ducem. An me, in prætorio patris, clarissimi Imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniæ Galliæque, victorem eundem non Alpinarum modo gentium, sed ipsarum, quod multo majus est, Alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si quis demtis signis Pœnos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit Consul.

Non ego illud parvi æstimo, milites, quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus; cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora. Cum laudatis a me millies donatisque, alumnus prius omnium vestrum, quam Imperator, procedam 'acie adversus ignotos inter se, ignorantesque. Quocumque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris: veteranum peditem; generosissimarum gentium equites frænatos & infrænatos; vos socios fidelissimos fortissimosque; vos, Carthaginienses, tum ob patriam, tum ob iram justissimam pugnaturos. Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam; tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto major spes majorque est animus inferentis vim, quam arcentis. Accendit præterea animos & stimulat dolor, injuria, indignitas. Ad supplicium depoposcerunt me ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis: deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt. Crudelissima ac superbissima gens, sua omnia suique arbitrii facit: cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere æquum censet: circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus; neque eos, quos statuit, ter-

mi-

minos observat. Ne transieris Iberum: ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. Ad Iberum est Saguntum: nusquam te vestigio moveris. Parum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam & Sardiniam adimis: etiam Hispanias? & si inde cessero, in Africam transcendes. Transcendes autem dico? duos Consules hujus anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt. Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicaverimus. Illis timidis & ignavis licet esse, qui respectum habent, quos suus ager, sua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: nobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est; iterum dicam, vicistis: nullum incitamentum ad vincendum homini a Diis immortalibus acrius datum est.

O R A T I O VIII.

M. MINUCII RUFI MAGISTRI EQUITUM IN FABIUM DICTATOREM.

Quod cum Annibale congredi recusaret.

SPectatumne huc, ut rem fruendam oculis, sociorum cædes & incendia venimus? nec si nullius alterius nos, ne civium quidem horum pudet, quos Sinuessam colonos patres nostri miserunt, ut ab Samnite hoste tuta hæc ora esset: quam nunc non vicinus Samnis urit, sed Pœnus advena, ab extremis orbis terrarum terminis, nostra cunctatione & socordia jam huc progressus? Tantum (pro!) degeneramus a parentibus nostris, ut præter quam oram illi Punicas vagari classes, dedecus esse Imperii sui duxerint, eam nos nunc plenam hostium Nu-

Numidarumque ac Maurorum jam factam videamus? Qui modo Saguntum oppugnaturi indignando, non homines tantum, sed fœdera & Deos ciebamus, tendentem ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti spectamus? Fumus ex incendiis villarum agrorumque in oculos atque ora venit: strepunt aures clamoribus plorantium sociorum, sæpius nos, quam Deorum invocantium opem. Nos hic pecorum modo per æstivos saltus deviosque calles exercitum ducimus, conditi nubibus sylvisque. Si hoc modo peragrando cacumina saltusque Furius recipere a Gallis urbem voluisset, quo hic novus Camillus, nobis Dictator unicus in rebus affectis quæsitus, Italiam ab Annibale recuperare parat, Gallorum Roma esset: quam vereor ne, sic cunctantibus nobis, Annibali ac Pœnis toties servaverint majores nostri. Sed vir, ac vere Romanus, quo die Dictatorem eum ex auctoritate Patrum jussuque Populi dictum, Veios allatum est, quum esset satis altum Janiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descendit in æquum; atque illo ipso die media in urbe, qua nunc busta Gallica sunt, & postero die, citra Gabios, cecidit Gallorum legiones. Quid? post multos annos, quum ad Furculas Caudinas ab Samnite hoste sub jugum missi sumus; utrum tandem L. Papirius Cursor, juga Samnii perlustrando, an Luceriam premendo obsidendoque, & lacessendo victorem hostem, depulsum ab Romanis cervicibus jugum superbo Samniti imposuit? Modo Consuli Lutatio quæ alia res quam celeritas, victoriam dedit? quod postero die quam hostem vidit? classem gravem commeatibus, impeditam suomet ipsam instrumento atque apparatu, oppressit. Stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse: armari copias oportet, deducendas in æquum, ut vir cum viro congrediaris. Audendo atque agendo res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant.

ORA-

ORATIO IX.

EJUSDEM MINUCII AD SUOS MILITES.

Accepta copiarum parte Minucius cum Annibale congrediens præcipitavit in insidias. Eo periculo Fabii beneficio ereptus convocatis militibus eos sic est allocutus.

SÆpe ego audivi, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit; secundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere sciat, eum extremi ingenii esse. Nobis quoniam prima animi ingeniique negata sors est, secundam ac mediam teneamus: &, dum imperare discimus, parere prudenti in animum inducamus. Castra cum Fabio jungamus: ad prætorium ejus signa quum tulerimus, ubi ego eum parentem appellavero, quod beneficio ejus erga nos ac majestate ejus dignum est; vos milites, eos, quorum vos modo arma dextræque texerunt, patronos salutabitis: &, si nihil aliud, gratorum certe nobis animorum gloriam dies hæc dederit.

ORA-

ORATIO X.

FABII MAXIMI AD L. ÆMILIUM PAULLUM.

C. Terentius Varro Consul jactabat, se ubi primum hostem vidisset, cum eo congressurum. Longe alia mens erat L. Æmilio Paullo ejus Collega, qui tuta celeribus consiliis praeferenda esse existimabat. Ut in hoc constantius perseveraret, Q. Fabius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur.

SI aut collegam (id quod mallem) tui similem, Luci Æmili, haberes, aut collegæ tui similis esses, supervacanea esset oratio mea. Nam & duo boni Consules, etiam me indicente, omnia e Republica fide vestra faceretis; & mali, nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis acciperetis. Nunc & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est; quem video nequicquam & virum bonum, & civem fore, si altera parte claudicet Respublica. Malis consilis idem ac bonis juris & potestatis erit. Erras enim, L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Annibale futurum censes. Nescio an infestior hic adversarius, quam ille hostis maneat: cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es: & adversum Annibalem legionesque ejus, tuis equitibus ac peditibus pugnandum est; Varro dux, tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria. Tamen ille Consul demum, & in provincia, & ad exercitum cœpit furere: hic prius quam peteret consulatum, deinde in petendo consulatu, nunc quoque Consul, prius quam castra videat, aut hostem insanit. Et qui tantas jam nunc pro-

cellas

cellas, prælia atque acies jactando inter togatos ciet; quid inter armatam juventutem censes facturum, & ubi extemplo verba res sequitur? Atqui si hic, quod facturum se denunciat, extemplo pugnaverit; aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Thrasymeno locus nostris cladibus erit.

Nec gloriandi tempus adversus unum est; ut ego contemnendo potius quam appetendo gloriam, modum excesserim. Sed ita res habet: una ratio belli gerendi adversus Annibalem est, qua ego gessi. Nec eventus modo hoc docet; stultorum iste magister est; sed eadem ratio quæ fuit, futuraque, donec eædem res manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro; omnia circa plena civium ac sociorum sunt, armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntque: id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt, meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Annibal contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque; procul ab domo, procul a patria; neque illi terra, neque mari est pax; nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia; nihil usquam sui videt; in diem rapto vivit, partem vix tertiam exercitus ejus habet, quem Iberum amnem trajecit; plures fames, quam ferrum absumsit; nec his paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergo, quin eum sedendo superaturi simus; qui senescat in dies, non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Quamdiu pro Geronii, castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus? Sed ne adversus te quidem ego gloriabor: C. Servilius atque Atilius, proximi Consules, vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc una salutis est via, L. Paule, quam difficilem infestamque cives sibi magis quam hostes facient. Idem enim tui, quod hostium milites, volent: Idem Varro Consul Romanus, quod Annibal Pœnus Impe-

perator cupiet. Duobus ducibus unus resistas oportet: resistes autem, adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia moverit. Veritatem laborare nimis sæpe ajunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreverit, veram habebit. Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent, malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Omnia audentem contemnet Annibal: nil temere agentem metuet. Nec ego, ut nil agatur, moneo, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna: tuæ potestatis semper, tuaque omnia sint: armatus intentusque sis: neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara, certaque erunt. Festinatio improvida est, & cæca.

ORATIO XI.

P. CORNELII SCIPIONIS AD EXERCITUM.

P. Scipio, qui postea Africanus dictus est, ante quartum, & vicesimum ætatis annum missus in Hispanias Imperator, primo adventu in provinciam ita Milites est allocutus.

NEmo ante me novus Imperator militibus suis, prius quam opera eorum usus esset, gratias agere jure ac merito potuit. Me vobis, priusquam provinciam aut castra viderem, obligavit fortuna: primum, quod ea pietate erga patrem patruumque meum vivos mortuosque fuistis; deinde quod amissam tanta clade provinciæ possessionem, integram & Populo Romano, & sucessori mihi, virtute vestra obtinuistis. Sed quum jam benignitate Deum id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant; nec ut pro ripa Iberi stantes arceamus transitum hostis, sed ut ultro

tran-


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

transeamus, transferamusque bellum; vereor ne cui vestrum majus id audaciusque consilium, quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro ætate mea videatur. Adversæ pugnæ in Hispania, nullius in animo, quam meo, minus oblitterari possunt: quippe cui pater & patruus, intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. Sed ut familiaris pene orbitas ac solitudo frangit animum; ita publica quum fortuna, tum virtus, desperare de summa rerum prohibet. Ea fato quodam data nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites: a Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? Jam quid hoc de bello memorem? Omnibus aut ipse adfui cladibus: aut quibus absui, maxime unus omnium eas sensi. Trebia, Thrasymenus, Cannæ quid aliud sunt, quam monumenta occisorum exercituum, Consulumque Romanorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliæ, majoris partis Sardiniæ. Adde ultimum terrorem ac pavorem castra Punica inter Anienem & mœnia Romana posita, & visum prope in portis victorem Annibalem. In hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus Populi Romani. Hæc omnia strata humi erexit ac sustulit. Vos omnium primi, milites, post Cannensem cladem vadenti Asdrubali ad Alpes Italiamque, qui si se cum fratre conjunxisset, nullum jam nomen esset Populi Romani, ductu auspicioque patris mei obstitistis. Et hæ secundæ res illas adversas sustinuerunt. Nunc, benignitate Deum, omnia secunda, prospera, in dies lætiora ac meliora in Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia Syracusæ Agrigentumque captum: pulsi tota insula hostes, receptaque provincia in ditione Populi Romani est. In Italia Arpi recepti, Capua capta. Iter omne ab urbe Roma trepida fuga emensus Annibal, in extremum angulum agri Brutii com-

compulsus, nihil jam majus precatur Deos; quam ut incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat. Quid igitur minus conveniat, milites, quam quum aliæ super alias clades cumularentur, ac Dii prope ipsi cum Annibale starent, vos hic cum parentibus meis (æquentur enim etiam honore nominis) sustinuisse labantem fortunam Populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætaque sunt, animis deficere? Nuper quoque quæ acciderunt, utinam tam sine meo luctu, quam vestro, transissent! Nunc Dii immortales, Imperii Romani præsides, qui centuriis omnibus, ut mihi imperium juberent dari, fuere auctores; iidem auguriis auspiciisque, & per nocturnos etiam visus omnia læta ac prospera portendunt. Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, præsagit nostram Hispaniam esse: brevi extorre hinc omne Punicum nomen, maria terrasque fœda fuga impleturum. Quod mens sua sponte divinat, idem subjicit ratio haud fallax. Vexati ab iis sociis nostram fidem per Legatos implorant. Tres Duces discrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis, trifariam exercitum in diversissimas regiones distraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quæ nuper nos afflixit. Nam & deseruntur ab sociis, ut prius ab Celtiberis nos; & diduxere exercitus; quæ patri patruoque meo causa exitii fuit. Nec discordia intestina coire eos in unum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt.

Vos modo, milites, favete nomini Scipionum, soboli Imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite, milites veteres, novum exercitum, novumque Ducem traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe a vobis peragratas. Brevi faciam, ut quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultusque, & lineamenta corporis; ita ingenii, fidei, virtutisque exemplum expressam

ad

ad effigiem vobis reddam; ut revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem Imperatorem dicat.

ORATIO XII.

P. SCIPIONIS AD SEDITIOSOS MILITES.

Octo millia Militum, qui Sucrone erant, cum Scipio gravi morbo implicitus esset, seditionem movent, Tribunos castris pellunt, imperii summam ad Albium, & Atrium seditionis principes deferunt. Ubi Scipio convaluit, ut huic malo obviam iret, quia seditiosi stipendium non datum ad diem jactaverant, edixit, ut ad stipendium petendum novam Carthaginem convenirent: Iis urbem ingressis seditionis auctores absque ullo tumultu comprehendendos curavit. Caeteros postera die ad concionem vocatos ita objurgavit:

NUnquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi: non quod verba nunquam potius quam res exercuerim, sed quia prope a pueritia in castris habitus, assueveram militaribus ingeniis. Ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descistis: an milites? qui imperium, auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod Illergetes & Lacetani, aut optastis aliud, aut superastis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiae nobilitatis viros, duces furoris sequuti sunt: vos auspicium & imperium ad Umbrum Atrium, & Calenum Albium detulistis. Negate vos id

id omnes fecisse, aut factum voluisse, milites: paucorum eum furorem atque amentiam esse. Libenter credam negantibus. Nec enim ea sunt commissa, quæ vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint. Invitus ea tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullum locum tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea: sic me non solum adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris en meis (quantum me opinio fefellit!) fama mortis meæ non accepta solum, sed etiam expectata est. Non quod ego vulgari facinus per omnes velim. Equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer: nec me vita juvaret, invisa civibus & militibus meis. Sed multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis est, venti, & auræ cient; ita aut tranquillum, aut procellæ in vobis sunt: & causa atque origo omnis furoris penes auctores est; vos contagione insanistis.

Qui mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parentesque ac liberos vestros, quid in Deos sacramenti testes, quid adversus auspicia sub quibus militatis, quid adversus morem militiæ disciplinamque Majorum, quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis. De me ipse taceo: temere potius, quam avide credideritis. Denique ego sim, cujus imperii tædere exercitum, minime mirandum sit. Patria quid de vobis meruerat, quam cum Mandonio & Indibili consociando consilia prodebatis? Quid Populus Romanus, cum imperium ablatum ab Tribunis suffragio Populi creatis, ad homines privatos detulistis? quum, eo ipso non contenti, si pro Tribunis illos haberetis, fasces Imperatoris vestri ad eos, quibus servus, cui imperarent,

nunquam fuerat, Romanus exercitus detulistis. In prætorio tetenderunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit: signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali P. Scipionis: lictor apparuit: submoto incesserunt: fasces cum securibus prælati sunt. Lapides pluere, & fulmina jaci de cœlo, & insuetos fœtus animalia edere, vos portenta esse putatis: hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sanguine eorum qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit.

Atque ego (quanquam nullum scelus rationem habet) tamen, ut in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit: propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romæ securi percussa sunt. Sed illi primum, non Atrium Umbrum semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Jubellium Tribunum militum sequuti sunt: nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis, hostibus Populi Romani, se conjunxerunt. Vos cum Mandonio & Indibili consilia communicastis, & arma consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam Tuscis veteribus cultoribus ademtam, Mamertini in Sicilia Messanen, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant: nec Populum Romanum, nec socios Populi Romani ultro lacessituri bello. Sucronemne vos domicilium habituri eratis? ubi si vos decedens confecta provincia Imperator relinquerem, Deum hominumque fidem implorare debeatis, quod non rediretis ad conjuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meique ejeceritis ex animis vestris. Viam consilii scelerati, sed non ad ultimum dementis exequi volo.

Mene vivo, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die uno Carthaginem cepi, cum quo qua-

tuor Imperatores, quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia hominum, minoris certe omnes pretii, quam Albius & Atrius sunt, quibus vos subjecistis, Hispaniam provinciam Populo Romano erepturi eratis? Amolior & amoveo nomen meum: nihil ultra facile creditam mortem meam a vobis violatus sim. Quid? si ego morerer, mecum exspiratura Respublica, mecum casurum Imperium Populi Romani erat? Ne istuc Jupiter Optimus Maximus sinit, urbem auspicato Diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem esse. Flaminio, Paullo, Graccho, Postumio Albino, M. Marcello. T. Quinto Crispino, C. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam claris Imperatoribus uno bello absumptis, superstes est Populus Romanus, eritque mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus. Meo unius funere elata Populi Romani esset Respublica? Vos ipsi hic in Hispania, patre & patruo meo, duobus Imperatoribus interfectis, Septimum Marcium ducem vobis adversus exultantes recenti victoria Pœnos delegistis.

Et sic loquor, tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint. M. Silanus eodem jure, eodem imperio mecum in provinciam missus, L. Scipio frater meus, & C. Lælius Legati, vindices majestatis imperii deessent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? Quibus si omnibus superiores essetis, arma cum Pœnis contra Patriam, contra cives vestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem urbi Romæ imperare velletis? Quam ob noxam patriæ? Coriolanum quondam damnatio injusta, miserum & indignum exilium, ut iret ad oppugnandam patriam, impulit: revocavit tamen a publico parricidio privata pietas. Vos qui dolor, quæ ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis Imperatore ægro serius numeratum, satis digna causa fuit, cur

patriæ indiceretis bellum ? cur ad Illergetes descisceretis a Populo Romano ? cur nihil divinarum humanarumve rerum inviolatum vobis esset ? Insanistis profecto, milites: nec major in corpus meum vis morbi, quam in vestras mentes invasit. Horret animus referre quid crediderint homines, quid speraverint, quid optaverint. Auferat omnia irrita oblivio, si potest: si non, utcunque silentium tegat.

Non negaverim tristem atrocemque vobis visam orationem: quanto creditis facta vestra atrociora esse, quam dicta mea? Et me ea quæ fecistis, pati æquum censetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo feretis? Sed ne ea quidem ipsa ultra exprobrabuntur. Utinam tam facile vos obliviscamini eorum, quam ego obliviscar. Itaque quod ad vos universos attinet, si erroris pœnitet, satis superque pœnarum habeo. Albius Calenus, & Atrius Umber, & cæteri nefariæ seditionis auctores sanguine luent quod admiserunt. Vobis supplicii eorum spectaculum non modo non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens rediit, debet esse: de nullis enim quam de vobis infestius, aut inimicius consuluerunt.

O R A T I O XIII.

Q. FABII MAXIMI IN SENATU,

Ne Scipio in African cum Exercitu mitteretur.

SCio multis vestrum videri, P. C., rem actam hodierno die agi, & frustra habiturum orationem, qui tanquam de integra re, de Africa provincia sententiam dixerit. Ego autem primum illud ignoro, quemadmodum jam certa provincia Africa Consulis viri fortis ac strenui sit, quam nec Senatus censuit in hunc annum provinciam esse, nec

nec Populus jussit: deinde, si est, Consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre, Senatum ludibrio habet, non Senatorem modo, qui de quo consulitur suo loco dicit sententiam.

Atque ego certum habeo, dissentienti mihi ab ista festinatione in Africam trajiciendi, duarum rerum subeundam opinionem esse: unius, insitæ ingenio meo cunctationis, quam metum pigritiamque homines adolescentes sane appellent, dum ne pœniteat, adhuc aliorum speciosiora primo adspectu consilia semper visa, mea usu meliora: alterius, obtrectationis atque invidiæ adversus crescentem in dies gloriam Consulis. A qua suspicione, si me neque vita acta & mores mei, neque Dictatura cum quinque Consulatibus, tantumque gloriæ belli domique partæ vindicat, ut propius fastidium ejus sit, quam desiderium; ætas saltem liberet. Quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest, qui ne filio quidem meo æqualis sit? Me Dictatorem, quum vigerem adhuc viribus; & in cursu maximarum rerum essem, recusantem nemo aut in Senatu, aut ad Populum audivit, quominus insectanti me Magistro equitum, quod fando nunquam ante auditum erat, imperium mecum æquaretur. Rebus, quam verbis assequi malui, ut qui aliorum judicio mihi comparatus erat, sua mox confessione me sibi præferret: nedum ego perfunctus honoribus, certamina mihi atque æmulationes cum adolescente florentissimo proponam: videlicet ut mihi jam vivendo, non solum rebus gerendis fesso, si huic negata fuerit, Africa provincia decernatur. Cum ea gloria, quæ parta est, vivendum atque moriendum est. Vincere ego prohibui Annibalem, ut a vobis, quorum vigent nunc vires, etiam vinci posset.

Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum erit, si, quum in me ipso nunquam pluris famam hominum, quam Rempublicam fecerim; ne tuam

quidem gloriam bono publico præponam. Quamquam si aut bellum nullum in Italia, aut his hostis esset, quo victo nihil gloriæ quæreretur; qui te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul cum bello materiam gloriæ tuæ iste ereptum videri posset. Quum vero Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annum Italiam obsideat, pœnitebit te, P. Corneli, gloriæ tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladium nobis causa fuit, tu Consul Italia expuleris, & sicut penes C. Lutatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te hujus fuerit? Nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa major clariorque, quam hæc (modo contingat ut te Consule vincamus) futura est. Ab Drepano atque Eryce detraxisse Amilcarem, quam Italia expulisse Pœnos atque Annibalem, malis? Ne tu quidem, etsi magis partam, quam speratam gloriam amplecteris, Hispania potius quam Italia bello liberata gloriatus fueris. Nondum is est Annibal, quem non magis timuisse videatur, quam contemsisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris, nec per istos circuitus, ut quum in Africam trajeceris, sequuturum te illuc Annibalem speres, potius quam recto hinc itinere, ubi Annibal est, eo bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Punici parati petis? Hoc & natura prius est, tua quum defenderis, aliena ire oppugnatum. Pax ante in Italia, quam bellum in Africa sit: & nobis prius decedat timor, quam ultro aliis inferatur. Si utrumque tuo ductu auspicioque fieri potest: Annibale hic victo, illic Chartaginem expugna. Sin alterutra victoria novis Consulibus relinquenda est; prior quum major clariorque, tum causa insequentis fuerit.

Nam nunc quidem, præterquam quod & in Italia & in Africa duos diversos exercitus alere ærarium non potest; præterquam quod unde classes tueamur,

mur, unde commeatibus præbendis sufficiamus, nihil reliqui est, periculi tandem quantum adeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. Quid, si (quod omnes Dii omen avertant, & dicere etiam reformidat animus, sed quæ acciderunt, accidere possunt) & victor Annibal ire ad urbem pergat; tum demum te Consulem ex Africa, sicut Q. Fulvium a Capua arcessemus? Quid, quod in Africa quoque Mars communis belli erit? Domus tibi tua, pater patruusque, intra triginta dies cum exercitibus cæsi, documento sint; ubi per aliquot annos maximis rebus terra marique gerendis amplissimum nomen apud exteras gentes Populi Romani vestræque familiæ fecerant. Dies me deficiat, si Reges Imperatoresque mere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suorum, numerare velim. Athenienses, prudentissima civitas, bello domi relicto, auctore æque impigro ac nobili juvene, magna classe in Siciliam transmissa, una pugna navali, florentem Rempublicam suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa eadem ista, & M. Attilius, insigne utriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint.

Næ tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conspexeris, ludus & jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. Quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ Galliæque vectus, Emporias in urbem sociorum classem appulisti: expositos milites, per tutissima omnia, ad socios & amicos Populi Romani, Tarraconem duxisti: ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa Iberum exercitus patris patruique tui, post amissos Imperatores, ferociores & calamitate ipsa. Dux tumultuarius quidem ille L. Marcius, & militari suffragio ad tempus lectus, cæterum si nobilitas ac justi honores adornarent, claris Imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per summum otium Carthago, nullo trium

Punicorum exercituum socios defendente. Cætera, neque ea elevo, nullo tamen modo Africo bello comparanda; ubi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non civitas socia, non Rex amicus, non consistendi usquam locus, non procedendi. Quacunque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Numidisque credis? Satis sit semel creditum. Non semper temeritas est felix, & fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut quum operæ pratium sit, cum mercede magna fallat. Non hostes patrem patruumque tuum armis prius, quam Celtiberi socii fraude circumvenerunt: nec tibi ipsi a Magone & Asdrubale hostium ducibus, quantum ab Indibili & Mandonio in fidem acceptis periculi fuit. Numidis tu credere posses, defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax & Masinissa se, quam Carthaginienses, malunt potentissimos in Africa esse: Carthaginienses, quam quemquam alium. Nunc illos æmulatio inter sese, & omnes causæ certaminum acuunt, quia procul externus metus est. Ostende illis Romana arma, & exercitum alienigenam: jam veluti ad commune restinguendum incendium concurrent.

Aliter iidem illi Carthaginienses Hispaniam defenderunt: aliter mœnia patriæ, templa Deum, aras, focos defendent; quum euntes in prælium pavida prosequetur conjux, & parvi liberi occursabunt. Quid porro? Si satis confisi Carthaginienses consensu Africæ, fide sociorum Regum, mœnibus suis, quum tuo exercitusque tui præsidio nudatam Italiam viderint, ipsi ultro novum exercitum in Italiam aut ex Africa miserint, aut Magonem, quem a Balearibus classe transmissa jam præter oram Ligurum Alpinorum vectari constat, Annibali se conjungere jusserint? Nempe id eodem terrore erimus in quo nuper fuimus, quum Asdrubal in Italiam transcendit: quem tu, qui non solum Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clau-

su-

furus, e manibus tuis in Italiam emisisti. Victum a te dices: eo quidem minus vellem, & id tua, non Reipublicæ solum causa, iter datum victo in Italiam esse.

Patere nos omnia quæ prospera tibi ac Reipublicæ in imperio evenere, tuo consilio assignare: adversa casibus incertis belli & fortunæ delegare. Quo melior fortiorque es, eo magis talem præsidem sibi patria atque universa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Annibal sit, ibi caput atque arcem hujus belli esse: quippe qui præ te feras, eam tibi causam trajiciendi in Africam esse, ut Annibalem eo trahas. Sive igitur hic, sive illic, cum Annibale est tibi futura res. Utrum ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic tuo collegæque exercitu conjuncto? Ne Claudius quidem & Livius Consules tam recenti exemplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid Annibalem, utrum tandem extremus angulus agri Brutii frustra jam diu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago, & tota socia Africa potentiorem armis virisque faciet? Quod istud consilium est, ibi malle decernere, ubi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo majores, quam ubi duobus exercitibus, adversus unum tot præliis & tam diuturna & gravi militia fessum pugnandum sit?

Quam compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille Consul profectus in Hispaniam, ut Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex provincia rediit: tu, quum Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras; non quia Reipublicæ id utile, sed quia tibi amplum & gloriosum censes esse: sicut quum provincia & exercitu relicto, sine lege, sine senatusconsulto, duabus navibus, Populi Romani Imperator fortunam publicam & majestatem Imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti.

Ego P. Cornelium, P. C., Reipublicæ nobisque,

non sibi ipsi privatim creatum Consulem existimo: exercitusque ad custodiam urbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam Consules, quo terrarum velint, trajiciant.

ORATIO XIV.

P. CORNELII SCIPIONIS Q. FABIO RESPONDENTIS.

ET ipse Q. Fabius principio orationis, P. C. commemoravit, in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse. Cujus ego rei non tam ipse ausim tantum virum insimulare, quam ea suspicio, vitio orationis an rei, haud sane purgata est. Sic enim honores suos & famam rerum gestarum extulit verbis, ad extinguendum invidiæ crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur, & non ab eo, qui, quia super cæteros excellat, quo me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari nolit. Sic senem se perfunctum honoribus, & me infra ætatem filii etiam sui posuit; tanquam non longius quam quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extendatur, maximaque pars ejus in memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, ut se non cum præsentibus modo, sed cum omnis ævi claris viris comparent. Equidem haud dissimulo, me tuas, Q. Fabi, laudes non assequi solum velle, sed (bona venia tua dixerim) si possim, etiam exsuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi sit, ut nolimus quemquam nostri similem evadere civem. Id enim non eorum modo, quibus inviderimus, sed Reipub. & pene omnis generis humani detrimentum sit.

Commemoravit, quantum essem periculi aditurus, si in Africam trajicerem: ut meam quoque, non so-

ſolum Reipublicæ & exercitus vicem videretur ſollicitus. Unde hæc repente cura de me exorta? Quum pater patruuſque meus interfecti, quum duo exercitus eorum prope occidione occiſi eſſent, quum amiſſæ Hiſpaniæ, quum quatuor exercitus Pœnorum, quatuor duces omnia metu armiſque tenerent, quum quæſitus ad id bellum Imperator nemo ſe oſtenderet, præter me, nemo profiteri nomen auſus eſſet, quum mihi quatuor & viginti annos nato detuliſſet imperium Populus Romanus; quid ita tum nemo ætatem meam, vim hoſtium, difficultatem belli, patris patruique recentem cladem commemorabat? Utrum major aliqua nunc in Africa calamitas accepta eſt, quam tunc in Hiſpania erat? An majores nunc ſunt exercitus in Africa, duces plures melioreſque, quam tunc in Hiſpania fuerunt? An ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit, quam nunc eſt? An cum Carthaginienſi hoſte in Hiſpania, quam in Africa bellum geri aptius eſt? Facile eſt poſt fuſos fugatoſque quatuor exercitus Punicos, poſt tot urbes vi captas, aut metu ſubactas in ditionem, poſt perdomita omnia uſque ad Oceanum, tot Regulos, tot ſævas gentes, poſt receptam totam Hiſpaniam, ita ut veſtigium nullum belli reliquum ſit, elevare meas res geſtas: tam, Hercule, quam ſi victor ex Africa redierim, ea ipſa elevare, quæ nunc retinendi mei cauſa, ut terribilia eadem videantur, verbis extolluntur.

Negat aditum eſſe in Africam, negat ullos patere portus. M. Atilium captum in Africa commemorat. Tanquam M. Atilius primo acceſſu ad Africam offenderit. Neque recordatur, illi ipſi tam infelici Imperatori patuiſſe tamen portus Africæ, & res egregias primo anno geſſiſſe, &, quantum ad Carthaginienſes duces attinet, invictum ad ultimum permanſiſſe, Nihil igitur me iſto tu exemplo terrueris. Si hoc bello, non priore, ſi nuper, & non annis ante quadraginta, iſta clades accepta foret:

 qui

qui ego minus in Africam Regulo capto, quam Scipionibus occisis, in Hispaniam trajicerem? Nec felicius Xanthippum Lacedæmonium Carthagini, quam me patriæ meæ finerem natum esse: cresceretque mihi ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis unius virtute tantum momenti esse.

At etiam Athenienses audiendi sunt, temere in Siciliam, omisso domi bello, transgressi. Cur ergo, quoniam Græcas fabulas enarrare vacat; non Agathoclem potius Syracusanum Regem, quum diu Sicilia Punico bello ureretur, transgressum in hanc eandem Africam, avertisse eo bellum unde venerat, refers?

Sed quid, ultro metum inferre hosti, & ab se remoto periculo alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus externisque exemplis admonere opus est? Majus præsentiusve ullum exemplum esse, quam Annibal, potest? Multum interest, alienos populare fines, an tuos uri exscindique videas: plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti. Ad hoc major ignotarum rerum est terror: bona malaque hostium ex propinquo, ingressus fines, aspicias. Non speraverat Annibal fore, ut tot in Italia populi ad se deficerent, quot defecerunt post Cannensem cladem; quanto minus quicquam in Africa Carthaginiensibus firmum ac stabile est, infidis sociis, gravibus ac superbis dominis? Ad hoc nos etiam deserti ab sociis, viribus nostris, milite Romano, stetimus. Carthaginiensi nihil civilis roboris est: mercede paratos milites habent, Afros, Numidasque, levissima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil moræ sit: una & trajecisse me audietis, & ardere bello Africam, & molientem hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem. Lætiores & frequentiores ex Africa exspectate nuncios, quam ex Hispania accipiebatis. Has mihi spes subjicit fortuna Populi Romani, Dii fœderis ab hoste violati testes, Syphax & Masinissa Reges: quo-

quorum ego fidei ita innitar, ut bene tutus a perfidia sim. Multa quæ nunc ex intervallo non apparent, bellum aperiet. Et id est viri & ducis, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium.

Habebo, Quinte Fabi, parem, quem das, Annibalem; sed illum potius ego traham, quam ille me retineat. In sua terra cogam pugnare eum, & Carthago potius præmium victoriæ erit, quam semiruta Brutiorum castella.

Ne quid interim, dum trajicio, dum expono exercitum in Africa, dum castra ad Carthaginem promoveo, Respub. hic detrimenti capiat, quod tu, Q. Fabi, quum victor tota Italia volitaret Annibal, potuisti præstare, hoc, vide ne contumeliosum sit, concusso jam & pene fracto Annibale, negare, posse P. Licinium Consulem virum fortissimum præstare: qui ne a sacris absit Pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ provinciæ non venit.

Si, Hercule, nihilo maturius hoc, quo ego censeo, modo perficeretur bellum: tamen ad dignitatem Populi Romani, famamque apud Reges gentesque externas pertinebat, non ad defendendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animum esse: nec hoc credi vulgarique, quod Annibal ausus sit, neminem ducem Romanorum audere: & priore Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties Africam ab nostris exercitibus & classibus oppugnatam, nunc quum de Italia certetur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquando vexata tamdiu Italia; uratur evasteturque invicem Africa. Castra Romana potius Carthaginis portis immineant, quam nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli cla-

des,

des, quæ in nos per quatuordecim annos ingruerunt, vertantur,

Quæ ad Rempublicam pertinent, & bellum quod instat, & provincias de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio, nec ad vos pertinens sit, si quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania elevavit, sic & ego contra gloriam ejus eludere, & meam verbis extollere velim. Neutrum faciam, P. C. &, si ulla alia re, modestia certe, & temperando linguæ, adolescens senem vicero. Ita & vixi & res gessi, ut tacitus ea opinione, quam vestra sponte conceptam animis haberetis, facile contentus essem.

ORATIO XV.

ANNIBALIS AD SCIPIONEM.

Carthaginienses cum moram temporis quærerent, dum Annibal in Africam trajiceret, Legatos alios ad Scipionem, ut inducias facerent, alios Romam ad pacem petendam miserant. Induciæ concessæ; quas tamen, postquam Annibal adventabat, ruperunt expugnatis navibus quæ commeatus in castra Romana advehebant: Legatos quoque a Scipione Carthaginem missos, qui de hac injuria quærerentur, prope violaverunt. Nihilominus Annibal ratus, si integer, quam si victus peteret pacem, æquiora impetrari posse, colloquium cum Scipione expetit, hisque verbis eum ad pacem hortatur.

SI hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli Populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem; lætor te mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egre-

egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui de tot Romanis Ducibus victoriam Dii dedissent, tibi cessisse: teque huic bello, vestris prius quam nostris cladibus insigni, finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium casus ediderit fortuna, ut cum patre tuo Consule ceperim arma, cum eodem primum Romano Imperatore signa contulerim; ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam.

Optimum quidem fuerat, eam patribus nostris mentem datam ab Diis esse, ut & vos Italiæ, & nos Africæ Imperio contenti essemus. Neque enim ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tam egregiis amissis Ducibus. Sed præterita magis reprehendi possunt, quam corrigi. Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus, nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed & vos in portis vestris prope ac mœnibus signa armaque hostium vidistis; & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis; in meliore vestra fortuna de pace agitur. Agimus ii, quorum & maxime interest pacem esse, & qui quodcunque egerimus, ratum civitates nostræ habituræ sint. Animo tantum nobis opus est non abhorrente a quietis consiliis.

Quod ad me attinet, jam ætas senem in patriam revertentem unde puer profectus sum, jam secundæ, jam adversæ res ita erudierunt, ut rationem sequi, quam fortunam malim. Tuam & adolescentiam, & perpetuam felicitatem, ferociora utraque quam quietis opus est consiliis, metuo. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Thrasymenum, ad Cannas, id tu hodie es. Vix dum militari ætate imperio accepto, omnia audacissime incipientem nusquam fefellit fortuna. Patris & patrui

per-

persecutus mortem, ab calamitate vestræ domus decus insigne virtutis pietatisque eximiæ cepisti : amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsis: Consul creatus, quum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo Rege capto, tot urbibus Regni ejus, tot nostri Imperii ereptis, me, sextum decimum jam annum, hærentem in possessione Italiæ detraxisti. Potest victoriam malle, quam pacem, animus. Novi vobis spiritus magnos magis quam utiles: & mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent Dii, non ea solum quæ evenissent, sed etiam ea quæ evenire possent, reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modo castris inter Anienem atque urbem vestram positis, ac jam prope scandentem mœnia Romana videras: hic cernis, duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis Imperatoribus orbatum, ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem.

Maximæ cuique fortunæ minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax; nobis petentibus magis necessaria quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria; hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis discrimen. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo. Utrinque ferrum, corpora humana erunt. Nusquam minus quam in bello eventus respondent. Non tantum ad id quod data pace jam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adjeceris; quantum ademeris, si quid adversi eveniat. Simul parta ac sperata decora unius horæ fortuna everte-

re

re potest. Omnia in pace jungenda tuæ potestatis sunt, P. Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam Dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit.

Est quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis: sed forsitan non indigni simus, qui nobismetipsis mulctam irrogemus. Non recusamus, quin omnia propter quæ bellum initum est, vestra sint; Sicilia, Sardinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari. Carthaginienses inclusi Africæ littoribus, vos (quando ita Diis placuit) æxterna etiam terra marique videamus regentes Imperia. Haud negaverim, propter non nimis sincere petitam aut exspectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem. Multum per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet, Scipio. Vestri quoque (ut audio) patres non nihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Annibal peto pacem: qui neque peterem nisi utilem crederem, & propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petii. Et quemadmodum, quia a me bellum cœptum est, ne quem ejus pœniteret, quoad ipsi invidere Dii, præstiti: ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat.

ORA-

ORATIO XVI.

SCIPIONIS ANNIBALI RESPONDENTIS.

NOn me fallebat, Annibal, adventus tui ſpe Carthaginienſes & præſentem induciarum fidem, & ſpem pacis turbaſſe: neque tu id ſane diſſimulas, qui de conditionibus ſuperioribus pacis omnia ſubtrahas, præter ea, quæ jampridem in noſtra poteſtate ſunt. Cæterum, ſicut tibi curæ eſt, ſentire cives tuos, quanto per te onere leventur: ſic mihi laborandum eſt, ne quæ tunc pepigerunt, hodie ſubtracta ex conditionibus pacis, præmia perfidiæ habeant. Indigni, quibus eadem pateat conditio, ut etiam proſit vobis fraus, petitis. Neque patres noſtri priores de Sicilia, neque nos de Hiſpania fecimus bellum. Et tunc Mamertinorum ſociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac juſta induerunt arma. Vos laceſſiſſe, & tu ipſe fateris, & Dii teſtes ſunt: qui & illius belli exitum ſecundus jus faſque dederunt, & hujus dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, ſubjecta eſſe mille caſibus ſcio. Cæterum, quemadmodum ſuperbe & violenter me faterer facere, ſi priuſquam in Africam trajeciſſem, te tua voluntate cedentem Italia, & impoſito in naves exercitu ipſum venientem ad pacem petendam aſpernarer; ſi nunc, quum prope manu conſerta reſtitantem ac tergiverſantem in Africam attraxerim, nulla ſum tibi verecundia obſtrictus. Proinde ſi quid ad ea, in quæ tum pax conventura videbatur, (quæ ſint, noſti) mulctæ navium cum commeatu per inducias expugnatarum, Legatorumque violatorum, adjicitur; eſt quod referam ad Conſilium. Sin illa quoque gravia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuiſtis.

ORA-

ORATIO XVII.

M. PORCII CATONIS CONSULIS PRO LEGE OPPIA.

C. Oppius Tribunus Pl., dum Punicum bellum ardebat, legem tulerat contra Mulierum luxum. Eo confecto M. Fundanius, & L. Valerius Tribuni Pl. de hac lege abroganda ad plebem ferebant. Matronæ vias urbis, aditusque in forum obsidebant, rogantes, ut sibi pristinus ornatus redderetur. At M. Porcius Cato contra Tribunos pro Lege Oppia ita disseruit.

SI in sua quisque nostrum matre familiæ, Quirites, jus & majestatem viri retinere instituisset, minus cum universis fœminis negotii haberemus. Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, universas horremus. Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula conjuratione muliebri ab stirpe sublatum esse. Ab nullo genere non æque summum periculum est, si cœtus & consilia, & secretas consultationes esse sinas.

Atque ego vix statuere apud animum meum possum, utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur. Quorum alterum ad nos Consules, reliquosque Magistratus; alterum ad vos, Quirites, magis pertinet. Nam utrum e Republica sit, necne, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, sive sua sponte, sive auctoribus vobis, M. Fundani, & L. Valeri, facta est, haud dubie ad culpam Magistratuum pertinens, nescio vobis, Tribuni, an Consulibus magis sit deformis: vobis, si fœminas ad concitandas tribunicias seditiones jam adduxistis: no-

nobis, si ut plebis quondam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt.

Equidem non sine rubore quodam paulo ante per medium agmen mulierum in forum perveni. Quod nisi me verecundia singularum magis majestatis & pudoris, quam universarum tenuisset, ne compellatæ a Consule viderentur, dixissem: " Qui hic mos ,, est in publicum procurrendi, & obsidendi vias, ,, & viros alienos appellandi? Istud ipsum suos quæ- ,, que domo rogare non potuistis? An blandiores ,, in publico quam in privato, & alienis, quam ve- ,, stris estis? Quanquam ne domi quidem vos, si ,, sui juris finibus matronas contineret pudor, quæ ,, leges hic rogarentur abrogarenturve, curare de- ,, cuit. "

Majores nostri, nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt; in manu esse parentum, fratrum, virorum. Nos (si Diis placet) jam etiam Rempublicam capessere eas patimur, & foro quoque, & concionibus, & comitiis immisceri. Quid enim nunc aliud per vias & compita faciunt, quam quod aliæ rogationes Tribunorum plebis suadent, aliæ legem abrogandam censent? Date frænos impotenti naturæ, & indomito animali; & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis.

Minimum hoc eorum est, quæ iniquo animo fœminæ sibi aut moribus aut legibus injuncta patiuntur. Omnium rerum libertatem, immo licentiam (si vera dicere volumus) desiderant. Quid enim, si hoc expugnaverint, non tentabunt? Recensere omnia muliebria jura, quibus licentiam earum alligaverint majores nostri, per quæque subjecerint viris: quibus omnibus constrictas vix tamen continere potestis. Quid si carpere singula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini: tolerabiles vobis eas fore creditis? Extemplo, simul pares esse cœperint, superiores erunt.

At, Hercule, ne quid novum in eas rogetur, recusant:

cusant: non jus, sed injuriam deprecantur. Immo, ut, quam accepistis, jussistis suffragiis vestris legem, quam usu tot annorum & experiendo comprobastis, hanc ut abrogetis: id est, ut unam tollendo legem, cæteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo quæritur, si majori parti, & in summam prodest. Si, quod cuiquam privatim officiet jus, id destruet ac demolietur, quid attinebit universos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint?

Volo tamen audire quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum, ac vix foro se & concione abstineant. Ut captivi ab Annibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum? Procul abest, absitque semper talis fortuna Reipublicæ. Sed tamen quum fuit, negastis hoc piis precibus earum. At non pietas, nec sollicitudo pro suis, sed religio congregavit eas. Matrem Idæam a Pessinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? " Ut auro & purpura fulgeamus, inquit: ,, ut carpentis, festis profestisque diebus, velut ,, triumphantes de lege victa & abrogata, & captis ,, & ereptis suffragiis vestris, per urbem vectemur: ,, ne ullus modus sumptibus, ne luxuriæ sit. "

Sepe me querentem de fœminarum, sæpe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam Magistratuum sumptibus audistis; diversisque duobus vitiis, avaritia & luxuria civitatem laborare: quæ pestes omnia magna Imperia everterunt. Hæc ego, quo melior lætiorque in dies fortuna Reipublicæ est, Imperiumque crescit, & jam in Græciam Asiamque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi. Jam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mi-

ran-

rantesque, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios Deos; & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur.

Patrum nostrorum memoria per Legatum Cineam Pyrrhus, non virorum modo, sed etiam mulierum animos donis tentavit. Nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. Quam causam fuisse censetis? Eadem fuit, quæ majoribus nostris, nihil de hac re lege sanciendi; nulla erat luxuria, quæ coerceretur. SICUT ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum: sic cupiditates prius natæ sunt quam leges, quæ iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitavit de quingentis jugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vectigalis jam & stipendiaria plebs esse Senatui cœperat? Itaque minime mirum est, nec Oppiam, nec aliam ullam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret: quum aurum & purpuram data & oblata ultro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cineas urbem circumiret; stantes in publico invenisset quæ acciperent.

Atque ego nonnullarum cupiditatum ne causam quidem aut rationem inire possum. Nam ut quod alii liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris, aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid unaquæque vestrum vereatur ne in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parcimoniæ, vel paupertatis: sed utrumque lex vobis demit, quum id quod habere non licet, non habetis. " Hanc, inquit, ipsam exæquatio„ nem non fero, illa locuples. Cur non insignis „ auro & purpura conspicior? cur paupertas alia„ rum sub hac legis specie latet, ut quod habere „ non possunt, habituræ, si liceret, fuisse videan„ tur? „ Vultis hoc certamen uxoribus vestris injicere, Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla

nulla alia possit, pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, si supra vires se extendant? Næ, simul pudere, quod non oportet, cœperit; quod oportet, non pudebit. Quæ de suo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum, & qui exoratus, & qui non exoratus erit! quum quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant, &, quod majus est, legem & suffragia rogant, & a quibusdam impetrant, adversus te & rem tuam & liberos tuos inexorabiles. Simul lex modum sumptibus uxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare, Quirites, futuram rem, quo fuit antequam lex de hoc ferretur. Et hominem improbum non accusari tutius est, quam absolvi: & luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nunc, ipsis vinculis, sicut fera bestia, irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo: vos quod facitis, Deos omnes fortunare velim.



ORA-

ORATIO XVIII.

PHILIPPI MACEDONUM REGIS,

CUM INTER DUOS FILIOS JUDEX SEDERET.

Philippo Macedonum Regi duo filii fuere: Perseus alter ex pellice susceptus, sed ordine nascendi prior, alter Demetrius, ex legitima uxore. Hic obses olim ac pignus pacis missus Romam, gratus fuit Romanis, ac semper deinde Romanæ amicitiæ cultor. Sed eo nomine suspectus invisusque patri erat, bellum instaurare cupienti; multo adhuc invisior fratri, qui eum ut gravem amulum metuebat. Venerat tempus exercitus lustrandi. Sacro peracto, exercitus de more decurrit, ac divisa bifariam duæ acies concurrere ad simulacrum pugnæ. Regii juvenes duces ei ludicro certamini dati. Infestissimis animis pugnatum. Pars ea, quæ sub Demetrio erat, longe superior fuit. Convivium eo die sodalium, qui simul decurrerant, uterque separatim habuit; cum vocatus ad cœnam a Demetrio Perseus negasset. A victoribus inter epularum hilaritatem jocosa dicta in adversarios cum jactarentur, ad has excipiendas voces speculator a Perseo missus, a juvenibus forte egressis triclinio male mulctatur. Hujus rei ignarus Demetrius, hortatur convivas ut comissatum ad fratrem eant. Igitur illi qui speculatorem pulsaverant, ferrum veste abdiderunt, quo se tutari, si qua vis fieret, possent. Præcurrit statim index ad Persea, qui ferro succinctos cum Demetrio venire nuntiet. Perseus infamandæ rei gratia januam obserari jubet. Postera die, accusat Demetrium apud patrem, tamquam cum armatis domum ad se interficiendum venisset. Philippus,

pus, arcessito statim Demetrio, cum consedisset inter duos filios, in hunc modum locutus fertur.

Sedeo miserrimus pater Judex inter duos filios, accusatorem parricidii, & reum; aut confitti, aut admissi criminis labem apud meos inventurus. Jampridem quidem hanc procellam imminentem timebam, quum vultus inter vos minime fraternos cernerem, quum voces quasdam exaudirem. Sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse: etiam hostes armis positis fœdus icisse, & privatas multorum simultates finitas: subituram vobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter vos, meorum denique præceptorum: quæ vereor, ne vana surdis auribus cecinerim. Quoties ego, audientibus vobis, detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli, quibus se stirpemque suam, domos, regna, funditus evertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui; sociabilem consortionem inter binos Lacedæmoniorum Reges, salutarem per multa sæcula ipsis patriæque: eandem civitatem, postea quam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, eversam: Jam hos Eumenem Atalumque fratres, a quam exiguis rebus, prope ut puderet regii nominis, mihi, Antiocho, & cuilibet Regum hujus ætatis, nulla re magis, quam fraterna unanimitate regnum æquasse. Ne Romanis quidem exemplis abstinui, quæ aut visa aut audita habebam: T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum gesserunt; P. & L. Scipionum, qui Antiochum devicerunt; patris patruique eorum, quorum perpetuam vitæ concordiam mors quoque miscuit. Neque vos illorum scelus, similisque sceleri eventus deterrere a vecordi discordia potuit: neque horum bona mens, bona fortuna, ad sanitatem flectere. Vivo & spirante me

 hære-

hæreditatem meam ambo & spe & cupiditate improba crevistis. Eo usque me vivere vultis, donec alterius vestrum superstes haud ambiguum Regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem, nec patrem potestis pati. Nihil cari, nihil sancti est: omnium vicem regni unius insatiabilis amor successit. Agite! conscelerate aures paternas: decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palam quicquid aut veri potestis, aut comminisci libet. Reseratæ aures sunt, quæ posthac secretis alterius ab altero criminibus claudentur.

ORATIO XIX.

PERSEI ACCUSATORIS IN DEMETRIUM FRATREM.

APerienda nimirum nocte janua fuit, & armati comissatores accipiendi, præbendumque ferro jugulum, quando non creditur nisi perpetratum facinus; & eadem petitus insidiis audio, quæ latro atque insidiator. Non nequicquam isti unum Demetrium filium te habere, me subditum & pellice genitum appellant. Nam si gradum, si charitatem filii apud te haberem, non in me querentem deprehensas insidias, sed in eum, qui fecisset, sævires: nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec præterito periculo meo movereris, neque futuro, si insidiantibus sit impune.

Itaque si mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum Deos, ut a me cœptum scelus in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris. Sin autem, quod circumventis in solitudine natura ipsa subjicit, ut hominum quos nunquam viderint, fidem tamen implorent, mihi quoque ferrum in me strictum cernenti, vocem mittere liceat: per te, patrium nomen, quod utri nostrum sanctius sit, jampridem sentis, ita me audias, precor, tanquam

si

ſi voce & comploratione nocturna exercitus mihi quiritanti intervenisses, Demetrium cum armatis nocte intempesta in vestibulo meo deprehendisses. Quod tum vociferarer in re præsenti pavidus, hoc nunc postero die queror. Frater, non comissantium in vicem jamdiu vivimus inter nos. Regnare utique vis: huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus Macedoniæ mos, obstat vero etiam patris judicium. Huc transcendere, nisi per meum sanguinem, non potes. Omnia moliris & tentas. Adhuc seu cura mea, seu fortuna, restitit parricidio tuo. Hesterna die in lustratione, & decursu, & simulacro ludicro pugnæ, funestum prope prælium fecisti: nec me aliud a morte vindicavit, quam quod me ac meos vinci passus sum. Ab hostili prælio, tanquam fraterno lusu, pertrahere me ad cœnam voluisti. Credis me, pater, inter inermes convivas cœnaturum fuisse, ad quem armati comissatum venerunt? Credis nihil a gladiis nocte periculi fuisse, quem sudibus, te inspectante, prope occiderunt?

Quid hoc noctis, quid inimicus ad iratum, quid cum ferro succinctis juvenibus venis? Convivam me tibi committere ausus non sum: comissatorem te cum armatis venientem recipiam? Si aperta janua fuisset, funus meum parares hoc tempore, pater, quo querentem audis.

Nihil ego, tanquam accusator criminose, nec dubia argumentis colligendo, ago. Quid enim? Negat se cum multitudine venisse ad januam meam? an ferro succinctos secum fuisse? Quos nominavero, arcesse. Possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt: non tamen audebunt negare. Si deprehensos intra limen meum cum ferro ad te deducerem, pro manifesto haberes; fatentes pro deprehensis habe.

Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita. Sed ne sint cæcæ, pater, execra-

 tiones

tiones tuæ: discerne & dispice insidiatorem, & petitum insidiis: noxium huic esse caput. Qui occisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos Deos: qui periturus fraterno scelere fuit, perfugium in patris misericordia & justitia habeat. Quo enim alio confugiam? cui non solenne lustrale exercitus tui, non decursus militum, non domus, non epulæ, non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, tuta est. Si iero ad fratrem invitatus; moriendum est: si recepero intra januam comissatum fratrem, moriendum est: nec eundo, nec manendo insidias evito. Quo me conferam? Nihil præter Deos, pater, & te colui: non Romanos habeo, ad quos confugiam: perisse expetunt, quia tuis injuriis doleo, quia tibi ademtas tot urbes, tot gentes, modo Thraciæ maritimam oram, indignor. Nec me, nec te incolumi, Macedoniam futuram suam sperant. Si me scelus fratris, te senectus absumserit, aut ne ea quidem exspectata fuerit; Regem regnumque Macedoniæ sua futura sciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum.

At in Macedonibus satis præsidii est. Vidisti hesterno die impetum in me militum. Quid illis defuit, nisi ferrum? Quod illis defuit interdiu, convivæ fratris noctu assumserunt. Quid de magna parte Principum loquar, qui in Romanis spem omnem dignitatis & fortunæ posuerunt; & in eo, qui omnia apud Romanos potest? Neque Hercule istum mihi tantum fratri majori, sed prope est, ut tibi quoque ipsi Regi & patri præferant. Iste enim est, cujus beneficio pœnam tibi Senatus remisit; qui nunc te ab armis Romanis protegit; qui tuam senectutem obligatam & obnoxiam adolescentiæ suæ esse æquum censet. Pro isto Romani stant, pro isto omnes urbes tuo imperio liberatæ, pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent: mihi præter te, pater, quid usquam aut spei aut præsidii est?

[Quo

Quo spectare illas litteras ad te nunc missas Quintii credis, quibus bene te consuluisse rebus tuis ait, quod Demetrium Romam miseris, & hortatur, ut iterum & cum pluribus quoque Macedonum remittas eum? T. Quintius nunc est auctor omnium rerum isti, & magister. Eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit: illic ante omnia clandestina concocta sunt consilia. Quaeruntur adjutores consiliis, quam te plures, & Principes Macedonum cum isto mittere jubet. Qui hinc integri & sinceri Romam eunt, Philippum Regem se habere credentes, imbuti illinc & infecti Romanis delinimentis redeunt. Demetrius iis unus omnia est: eum jam Regem vivo patre appellant.

Hæc si indignor, audiendum est statim, non ab aliis solum, sed etiam a te, pater, cupiditatis regni crimen. Ego vero, si in medio ponitur, non agnosco. Quem enim suo loco moveo, ut ipse in ejus locum succedam? Unus ante me pater est; & ut diu sit, Deos rogo. Superstes (& ita sim, si merebor, ut ipse me esse velit) hæreditatem regni, si pater tradet, accipiam. Cupit regnum, & quidem scelerate cupit, qui trascendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, juris gentium. " Obstat frater major, ad quem jure, vo„ luntatem etiam patris regnum pertinet. Tolla„ tur: non primus regnum fraterna cæde petiero. „ Pater senex, & filio solus orbatus, de se magis „ timebit, quam ut filii necem ulciscatur. Romani „ lætabuntur, probabunt, defendent factum. " Hæ spes incertæ, pater, sed non inanes sunt. Ita enim res se habet: periculum vitæ propellere a me potes, puniendo eos, qui ad me interficiendum ferrum sumserunt: si facinori eorum successerit, mortem meam idem tu persequi non poteris.

aut prætermitti, aut in aliud tempus differri: ut perspiceretur, utrum ego tibi, an tu mihi, novo quidem & singulari genere odii, insidias fecisses. Ego tamen, quantum in hac subita perturbatione potero, separabo ea quæ tu confudisti: & noctis hujus insidias aut tuas, aut meas detegam.

Occidendi sui consilium me inisse videri vult: ut scilicet, majore fratre sublato, cujus jure gentium, more Macedonum, tuo etiam, ut ait, judicio regnum est futurum; ego minor in ejus quem occidissem, succederem locum. Quid ergo illa sibi vult pars altera orationis, qua Romanos a me cultos ait, atque eorum fiducia in spem regni me venisse? Nam si & in Romanis tantum momenti esse credebam, ut quem vellent, 'imponerent Macedoniæ Regem, & meæ tantum apud eos gratiæ confidebam; quid opus parricidio fuit? An ut cruentum fraterna cæde diadema gererem? ut illis, apud quos aut vera, aut certe simulata probitate partam gratiam habeo, si quam forte habeo, execrabilis & invisus essem. Nisi T. Quintium credis, cujus virtute & consiliis me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse auctorem.

Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum judicia, ac pene omnium Deorum hominumque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit: idem tanquam in aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ultimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, ut uter timuerit, ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris cepisse judicetur?

Exequamur tamen quocunque modo conficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitum criminatus est, & omnes insidiarum vias in unum diem contulit. Volui interdiu eum post lustrationem, quum concurrimus, & quidem, si Diis placet, lu-

ſtrationum die occidere: volui, quum ad cœnam invitavi, veneno ſcilicet tollere: volui, quum comiſſatum gladiis accincti me ſequuti ſunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia ſint ad parricidium electa, vides, luſus, convivii, comiſſationis. Quis dies? qualis? Quo luſtratus exercitus, quo inter diviſam victimam prælatis omnium, qui unquam fuere, Macedoniæ Regum armis regiis, duo ſoli tua tegentes latera, pater, prævecti ſumus, & ſequutum eſt Macedonum agmen. Hoc ego, etiam ſi quid ante admiſiſſem piaculo dignum, luſtratus & expiatus ſacro, tum cum maxime in hoſtiam itineri noſtro circumdatam intuens, parricidium, venena, gladios in comiſſationem præparatos, volutabam in animo: ut quibus aliis deinde ſacris contaminatam omni ſcelere mentem expiarem?

Sed cæcus criminandi cupiditate animus, cum omnia ſuſpecta efficere vult, aliud alio confundit. Nam ſi veneno inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit, quam pertinaci certamine & concurſu iratum te efficere, ut merito, ſicut feciſti, invitatus ad cœnam abnueres? Quum autem iratus negaſſes, utrum ut placarem te danda opera fuit, ut aliam quærerem occaſionem, quoniam ſemel venenum paraveram: an ab illo conſilio velut tranſiliendum ad aliud fuit, ut ferro te, & quidem eo die, per ſpeciem comiſſationis occiderem? Quo deinde modo, ſi te metu mortis credebam cœnam evitaſſe meam, non ab eodem metu comiſſationem quoque evitaturum exiſtimabam?

Non eſt res qua erubeſcam, pater, ſi die feſto inter æquales largiore vino ſum uſus. Tu quoque velim inquiras, qua lætitia, quo luſu apud me celebratum heſternum convivium ſit: illo etiam (pravo forſitan) gaudio provehente, quod in juvenili armorum certamine pars noſtra non inferior fuerat. Miſeria hæc & metus crapulam facile excuſſerunt:

runt: quæ si non intervenissent, insidiatores nos sopiti jaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus eram, non temperassem vino in unum diem? non milites abstinuissem meos? Et ne ego me solus nimia simplicitate tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax frater, nihil aliud scio, inquit, nihil arguo, nisi quod cum ferro comissatum venerunt. Si quæram, unde id ipsum scieris, necesse erit te fateri, aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam, aut illos ita aperte sumsisse ferrum, ut omnes viderent.

Et ne quid ipse aut prius inquisisse, aut nunc criminose argumentari videretur, te quærere ex iis, quos nominasset, jubebat, an ferrum habuissent? ut tanquam in re dubia, quum id quæsisses, quod ipsi fatentur, pro convictis haberentur. Quin tu illud quæri jubes, num tui occidendi causa ferrum sumserint? num me auctore & sciente? Hoc enim videri vis, non illud quod fatentur & palam est, & sui se tuendi causa sumsisse dicunt. Recte an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent. Meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miscueris: aut explica, utrum aperte an clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tuum speculatorem pulsarunt? Si clam, quis ordo consilii fuit? Convivio soluto, quum comissator ego discessissem, quatuor substitissent, ut sopitum te aggrederentur? Quomodo fefellissent & alieni, & mei, & maxime suspecti, quia paulo ante in rixa fuerant? Quomodo autem trucidato te ipsi evasuri fuerint? Quatuor gladiis domus tua capi & expugnari potuit? Quin tu, omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod invidiam urit, reverteris? " Cur ,, usquam regni tui mentio fit, Demetri? Cur di- ,, gnior patris fortunæ successor quibusdam videris, ,, quam ego? Cur spem meam, quæ, si tu non es-

 ,, ses

,, ses, certa erat, dubiam & sollicitam facis? ;,Hæc sentit Perseus, etsi non dicit : hæc istum inimicum, hæc accusatorem faciunt: hæc domum, hæc regnum tuum criminibus & suspicionibus replent. Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere unquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me majori cedere vis; sic illud nec debui facere, nec debeo, ut indignus tibi, pater, indignus omnibus videar. Id enim vitiis meis, non cedendo, cui jus fasque est, non modestia consequar.

Romanos objicis mihi: & ea quæ gloriæ esse debent, in crimen vertis. Ego nec obses Romanis ut traderer, nec ut Legatus mitterer Romam, petii: a te missus, ire non recusavi : utroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem. Itaque mihi cum Romanis amicitiæ causa tu fuisti, pater: quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit; si bellum esse cœperit, qui obses, qui Legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie ut prosit mihi gratia Romanorum, postulo: ne obsit, tantum deprecor. Nec in bello cœpit, nec ad bellum reservatur. Pacis pignus fui : ad pacem retinendam Legatus missus sum. Neutra res mihi nec gloriæ, nec crimini sit. Ego si quid impie in te, pater, si quid scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam : si innocens sum, ne invidia conflagrem, quum crimine non possim, deprecor.

Non hodie me primum frater accusat; sed hodie primum aperte: nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te majorem fratrem pro minore deprecari oportebat, te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. In eo ubi præsidium esse oportebat, ibi exitium est. E convivio & comissationibus prope semisomnus raptus sum ad causam parricidii dicendam: sine advocatis, sine patronis, ipse

pro

pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum & componendam orationem sumsissem; quum quid aliud quam ingenii fama periclitarer? Ignarus quid arcessitus essem, te iratum & jubentem dicere causam, fratrem accusantem audivi. Ille diu ante præparata, meditata in me oratione est usus: ego id tantum temporis, quo accusatus sum, ad cognoscendum quid ageretur, habui. Utrum momento illo horæ accusatorem audirem? an defensionem meditarer? Attonitus repentino atque inopinato malo, vix quid objiceretur, intelligere potui: nedum satis sciam quo modo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi patrem Judicem haberem? apud quem etiam si charitate a fratre majore vincor, misericordia certe reus vinci non debeo. Ego enim ut me mihi tibique serves: precor: ille ut me in securitatem suam occidas, postulat. Quid eum, quum regnum ei tradideris, facturum credis in me esse, qui jam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet?





ORATIONES E SALLUSTIO EXCERPTÆ.

ORATIO I.

CATILINÆ AD CONJURATOS.

Catilina jamdiu de trucidando Senatu, & invadenda Republica cogitabat, multosque traxerat nobiles homines in nefarii consilii societatem: eos hic alloquitur.

NI virtus fidesque vestra satis spectata mihi foret, necquicquam opportuna res cecidisset. Spes magna dominationis in manibus frustra fuisset: neque per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis & magnis tempestatibus vos cognovi fortes, fidosque mihi; eo animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere: simul quia vobis eadem, quæ mihi, bona malaque esse intellexi. Nam IDEM velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.

Sed ego quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis, Cæterum mihi in dies magis animus accenditur, quum considero quæ conditio vitæ futu-

futura sit, nisi nosmetipsos vindicamus in libertatem. Nam postquam Respublica in paucorum potentium jus atque ditionem concessit, semper illis Reges, Tetrarchæ vectigales esse: populi, nationes stipendia pendere: cæteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate: his obnoxii, quibus, si Respub. valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquerunt pericula, repulsas, judicia, egestatem. Quæ quousque tandem patiemini, fortissimi viri? Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero, pro Deum atque hominum fidem! victoria in manu nobis est: viget ætas: animus valet: contra illis, annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantummodo incœpto opus est: cætera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extruendo mari & montibus coæquandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius, domos continuare; nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia ædificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt. At nobis est inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior. Denique quid reliqui habemus præter miseram animam?

Quin igitur expergiscimini? En illa, illa quam sæpe optastis, libertas: præterea divitiæ, decus, gloria, in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utemini: neque animus, neque corpus a vobis aberit.

Hæc

Hæc ipsa, ut spero, vobiscum una Consul agam: nisi forte me animus fallit, & vos servire magis quam imperare parati estis.

ORATIO II.

C: CÆSARIS IN SENATU

DE CONJURATIONIS CATILINÆ SOCIIS.

Catilina ad Manlium profecto, P. Lentulus & alii principes conjurationis qui Romæ remanserant, intenti erant in occasionem incendendæ urbis. At re tota patefacta, comprehensos Cicero in custodiam tradit: mox ad Senatum refert quid de iis fieri placeat. Tum D. Junius Silanus Consul designatus, de convictis confessisque supplicium sumendum censuit; atque ei plerique assentiebantur. Sed Cæsar; ubi ad eum ventum est, rogatus a Consule sententiam, hæc dixit.

OMnes homines, P. C., qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt: nec quisquam omnium libidini simul & usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui Reges, aut qui populi ira aut misericordia impulsi, male consuluerint. Sed ea malo dicere, quæ majores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere.

Bello Macedonico, quod cum Rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quæ Populi Romani opibus creverat, infida atque adversa nobis fuit: sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, Majores nostri, ne quis divitiarum magis quam injuriæ bellum inceptum dice-

diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum sæpe Carthaginienses & in pace & per inducias multa nefaria facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quod se dignum foret, quam quod in illos jure fieri posset, quærebant.

Hoc item providendum est, P. C., ne plus apud vos valeat P. Lentuli & cæterorum scelus, quam vestra dignitas: neu magis iræ vestræ, quam famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat, iis utendum censeo, quæ legibus comparata sunt.

Plerique eorum qui ante me sententias dixerunt, composite ac magnifice casum Reipubl. miserati sunt: quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros: divelli liberos a complexu parentum: matres familiarum pati quæ victoribus collibuissent: fana atque domos expoliari: cædem, incendia fieri: postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortales, quo illa oratio pertinuit? an uti vos infestos conjurationi faceret? Scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: multi etiam eas gravius æquo habuere. Sed alia aliis licentia est, P. C. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia est: neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur.

Equidem ego sic existimo, P. C., omnes cruciatus minores, quam facinora illorum esse. Sed ple-

plerique mortales postrema meminere: & in hominibus impiis, sceleris eorum obliti, de pœna disserunt, si ea paulo sævior fuerit.

D. Silanum virum fortem atque strenuum certo scio, quæ dixerit, studio Reipubl. dixisse: neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere: eos mores, eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia ejus mihi non crudelis (quid enim in tales homines crudele fieri potest?); sed aliena a Republica nostra videtur. Nam profecto aut metus aut injuria te subegit, Silane, Consulem designatum, genus pœnæ novum decernere. De timore supervacaneum est disserere: quum præsenti diligentia clarissimi viri Consulis tanta sint præsidia in armis. De pœna possum equidem dicere id quod res habet: in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ neque gaudio locum esse.

Sed, per Deos immortales, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An quia lex Porcia vetat? At aliæ item leges condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An quia gravius est verberari, quam necari? Quid autem acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est; qui convenit in minore negotio legem observare, quum eam in majore neglexeris?

At enim quis reprehendat quod in parricidas Reipubl. decretum erit? Tempus, dies, fortuna; cujus lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quicquid evenerit. Cæterum vos P. C. quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt. Sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur. Lacedæmonii devictis Athenien-

nienfibus triginta viros impofuere, qui Rempubl. tractarent. Hi primo cœpere peffimum quemque & omnibus invifum; indemnatum necare. Eo populus lætari, & merito dicere fieri. Poft, ubi licentia paulatim crevit, juxta bonos & malos lubidinofe interficere, cæteros metu terrere. Ita civitas fervitute oppreffa, ftultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Noftra memoria victor Sulla, quum Damafippum, & alios hujufmodi, qui malo Reip. creverant, jugulari juffit, quis non factum ejus laudabat? Homines fceleftos & factiofos, qui feditionibus Remp. exagitaverant merito necatos aiebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Namque uti quifque domum aut villam, poftremo vas aut veftimentum alicujus concupiverat, dabat operam ut is in profcriptorum numero effet. Ita illi, quibus Damafippi mors lætitiæ fuerat, paulo poft ipfi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnes fuos divitiis explevit.

Atque ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor: fed in magna civitate multa & varia ingenia funt. Poteft alio tempore, alio Confule, cui item exercitus in manu fit, falfum aliquid pro vero credi: ubi hoc exemplo per Senatus decretum Conful gladium eduxerit, quis illi finem ftatuet? aut quis moderabitur?

Majores noftri, P. C. neque confilii, neque audaciæ unquam eguere: neque fuperbia obftabat quo minus aliena inftituta, fi modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria a Samnitibus, infignia Magiftratuum a Tufcis pleraque fumferunt: poftremo, quod ubique apud focios aut hoftes idoneum videbatur, cum fummo ftudio domi exequebantur. Imitari, quam invidere bonis, malebant. Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in cives: de condemnatis fummum fupplicium fumebant. Poftquam Refpublica adolevit, & multitudine civium factiones

value-

valuere; circumveniri innocentes, alia hujuscemodi fieri cœpere. Tunc lex Porcia aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Hanc ego causam, P. C., quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parata vix retinemus.

Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ? Minime. Sed ita censeo, publicandas eorum pecunias: ipsos in vinculis per municipia habendos, quæ maxime opibus valent: neu quis de his postea ad Senatum referat], neve cum Populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existimare, eum contra Remp. & salutem omnium facturum.

ORATIO III.

M. PORCII CATONIS CÆSARI RESPONDENTIS.

Longe mihi alia mens est, P. C. quum res atque pericula nostra considero, & quum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet cavere ab illis magis, quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam cætera maleficia tum persequare, ubi facta sunt: hoc nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores. Capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per Deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam Remp. fecistis: si ista, cujuscumque modi sint, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis; expergiscimini aliquando, & capessite Rempublicam. Non nunc agitur de vecti-

gali-

galibus, non de sociorum injuriis: libertas & anima nostra in dubio est.

Sæpenumero, P. C. multa verba in hoc Ordine feci: sæpe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortales ea causa adversos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen Respublica firma erat: opulentia negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium Populi Romani sit: sed hæc, cujuscumque modi videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem & misericordiam nominat? Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus. Quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: eo Respublica in extremo sita est. Sint sane (quoniam ita se mores habent) liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus ærarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur: & dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant.

Bene & composite C. Cæsar paulo ante in hoc Ordine de vita & morte disseruit: credo, falsa existimans ea quæ de Inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos: videlicet ne, si Romæ sint, aut a popularibus conjurationibus, aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, & non per Italiam totam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit: sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare

quum

quum de P. Lentulo cæterisque statuetis, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinæ & de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt.

Nolite existimare majores nostros armis Remp. ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum major copia nobis, quam illis. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis, eo fit ut impetus fiat in vacuam Rempublicam. Sed ego hæc omitto.

Conjuravere nobilissimi patriam incendere: Gallorum gentem infestissimam Romano nomini ad bellum arcessunt: dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiam nunc? & dubitatis quid intra mœnia deprehensis hostibus faciatis? Misereamini, censeo: deliquere homines adolescentuli per ambitionem: atque etiam armatos dimittatis. Næ ista vobis mansuetudo & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet.

Scilicet res ipsa aspera est: sed vos non timetis eam. Immo vero maxime: sed inertia & mollitia alius alium expectantes cunctamini? videlicet Diis immortalibus confisi, qui hanc Remp. in maximis sæpe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando,

do, agendo, bene consulendo, prospere omnia ac-dunt: ubi socordiæ tete atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores; irati infestique sunt.

Apud majores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit: vos de crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita cætera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si Diis, aut hominibus unquam ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quicquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de Republ. habuissent.

Postremo, P. C. si mehercule peccato locus esset, facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventi sumus: Catilina cum exercitu faucibus urget: alii intra mœnia atque in sinu urbis sunt: neque parari, neque consuli quicquam occulte potest: quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium Resp. in maxima pericula venerit, iique indicio T. Volturtii & legatorum Allobrogum convicti, confessique sint, cædem, incendia, aliaque fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse: de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

ORA-

ORATIO IV.

C. MARII AD QUIRITES.

C. Marius humili genere ortus, invita Nobilitate, at cupientissima plebe, Consul factus erat: eique provinciam Numidiam; & bellum adversus Jugurtham, ademta Metello, plebs decreverat. Cum igitur milites in supplementum scribere vellet, hortandi causa, & simul Nobilitatem exagitandi, concionem populi advocavit, dixitque.

SCio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, & postquam adepti sunt, gerere: primo, industrios, supplices, modicos esse; deinde per ignaviam & superbiam ætatem agere. Sed mihi contra videtur. Nam quo universa Resp. pluris est, quam consulatus aut prætura, eo majore cura illam administrari, quam hæc peti debere. Neque me fallit, quantum cum maximo beneficio vestro negotii sustineam. Bellum parare simul, & ærario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare, & ea agere inter invidos, occursantes, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus Nobilitas, Majorum fortia facta, cognatorum, & affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitæ: quas necesse est & virtute & innocentia tutari; nam alia infirma sunt.

Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse: æquos, bonosque favere; quippe benefacta mea Reipub. procedunt: Nobilitatem locum invadendi quærere. Quo mihi acrius admittendum est, uti neque vos capiamini, & illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis a pueritia fui, ut omnes labores

& pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deferam, non est consilium, Quirites.

Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere: mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit.

Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis: quam rem Nobilitas ægerrime tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit, si quem ex illo globo Nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendii: scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui: Ita plerumque evenit, uti, quem vos imperare jussistis, is sibi Imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui postquam Consules facti sunt, acta majorum & Græcorum militaria præcepta legere cœperint; homines præposteri. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quæ illi audire & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi. Quæ illi litteris, ea ego militando didici. Nunc vos existimate, facta, an dicta pluris sint.

Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur. Quanquam ego naturam unam, & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum esse. Ac si jam ex patribus Albini aut Bestiæ quæri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optimos voluisse? Quod si jure despiciunt me, faciam idem majoribus suis; quibus, uti mihi ex virtute nobilitas cœpit. Invident honori meo: ergo invideant labori, innocentiæ; periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. Verum homines cor-

rupti superbia, ita ætatem agunt, quasi honores vestros contemnant: ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Næ illi falsi sunt, qui diversissimas res pariter exspectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis.

Atque etiam quum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra est. Nam, quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet: majorum gloria posteris lumen est; neque bona, neque mala eorum in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum, id quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse.

Equidem ego non ignoro, si jam mihi respondere velint, abunde illis facundam & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi sententia, lædere nulla oratio potest: quippe vere, necesse est bene prædicet; falsam, vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem; & maximum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate, num id pœnitendum sit. Non possum, fidei causa, imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc nobilitas, non hæreditate relicta, ut illa illis, sed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæsivi.

Non

Non sunt composita verba mea. Parum id facio. Ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, uti turpia facta oratione regant. Neque litteras Graecas didici. Parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima Reipubl. doctus sum; hostes ferire; praesidia agitare; nihil metuere, nisi turpem famam; hyemem & aestatem juxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam & laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor: neque illos arcte colam, me opulenter: neque gloriam meam, laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque, quum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, est hoc dominum, non imperatorem esse. Haec atque alia majores vestri faciundo, seque remque publicam celebravere. Queis Nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit; & omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos, a vobis repetit. Caeterum homines superbissimi procul errant. Majores eorum omnia quae licebat, illis reliquere; divitias, imagines, memoriam sui praeclaram: virtutem non relinquere, neque poterant. Ea sola neque datur dono, neque accipitur.

Sordidum me & incultis moribus aiunt: quia parum scite convivium exorno; neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. Quae mihi lubet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & ex aliis sanctis viris ita accepi, MUNDITIAS mulieribus, viris laborem convenire: omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum esse: arma, non supellectilem decori esse.

Quin ergo, quod juvat, quod carum aestimabant, id semper faciant: ament, potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant in conviviis, dediti ventri & turpissimae parti corporis: sudorem, pulverem, & alia talia relinquant nobis,

 qui-

quibus illa epulis jucundiora sunt? Verum non ita est. Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissimi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita injustissime luxuria & ignavia, pessimæ artes, illis qui coluere eas, nihil officiunt, Reipubl. innoxiæ cladi sunt.

Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi: pauca de Rep. loquar. Primum omnium, de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis; avaritiam, imperitiam, superbiam. Dein exercitus ibi est locorum sciens, sed mehercule magis strenuus, quam felix. Nam magna pars ejus avaritia, aut temeritate Ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus militaris ætas est, adnitimini mecum, & capessite Remp. Neque quemquam ex calamitate aliorum, aut Imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine atque in prælio consultor, idem & socius periculi vobiscum adero: meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, Diis juvantibus, omnia mutata sunt, victoria, præda, laus: quæ si dubia, aut procul essent, tamen omnes bonos Reipubl. subvenire decet. Etenim nemo ignavia immortalis factus: neque quisquam parens liberis, ut æterni forent, optavit; magis uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent. Nam strenuis abunde dictum puto.

ORA-

ORATIONES
E
TACITO EXCERPTÆ.

ORATIO I.

GERMANICI CÆSARIS AD SEDITIOSOS MILITES.

Germanicæ Legiones turbatæ erant. Præerat Germanicus Cæsar, patre Druso genitus, a Tiberio patruo adoptatus. Is militum animos placaverat multis commodis eos augens. Sed cum Legati ab Senatu venissent, pavidos & conscientia vecordes intrat metus, missos esse, ut irrita facerent, quæ per seditionem expresserant. Rursus itaque turbantur legiones. Tum vero Germanicus uxorem ac filium parvulum procul a furentibus summovere statuit, & in locum tutum mittere. Tetigit ea res militum animos. Germanicum adeunt, orant ut mutet consilium. Isque ut erat recens dolore & ira, apud circumfusos ita cœpit.

NOn mihi uxor, aut filius, patre & Republica cariores sunt. Sed illum quidem sua majestas,

 jestas,

jestas, Imperium Romanum cæteri exercitus defendent: conjugem & liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? Quod nomen huic cœtui dabo? Militesne appellem? qui filium Imperatoris vestri vallo & armis circumsedistis: an cives? quibus tam projecta Senatus auctoritas. Hostium quoque jus, & sacra legationis, & fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu & adspectu Actiacas legiones exterruit. Nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles aspernaretur, tamen mirum & indignum erat. Primane & vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam Duci vestro gratiam refertis? Hunc ego nuncium patri, læta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tyrones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici Centuriones, ejici Tribunos, includi Legatos: infecta sanguine castra, flumina; meque precariam animam inter infensos trahere? Cur enim primo concionis die ferrum illud quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi amici! melius & amantius ille qui gladium offerebat. Cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis Ducem, qui meam quidem mortem impunitam fineret, Vari tamen & trium legionum ulcisceretur. Neque enim Dii finant, ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud & claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua, dive Auguste, cœlo recepta mens; tua, pater Druse, imago, tui memoria

moria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque quorum alia nunc ora, alia pectora contueor; si Legatos Senatui, obsequium Imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite a contactu, ac dividite turbidos. Id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

ORATIO II.

GERMANICI MORIENTIS AD AMICOS.

Germanicus jamjam moriturus, cum venenum sibi a Pisone Suriæ Præside Plancinaque ejus uxore datum esse pro certo haberet, amicos orat, ne mortem suam inultam patiantur.

SI fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus Deos esset, quod me parentibus, liberis, patriæ intra juventam præmaturo exitu raperent. Nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat; inlacrimabunt, quondam florentem, & tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus quærendi apud Senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed quæ voluerit, meminisse: quæ mandaverit, exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem, eandemque conjugem meam: numerate sex liberos. Misericor-

dia cum accusantibus erit: fingentibusque scelesta mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent.

ORATIO III.

SENECÆ AD NERONEM.

Seneca cum Neronem ad deteriores inclinare cerneret, seque variis criminationibus incessi, cedere invidia statuit, seque in otium penitus abdere. Igitur Cæsarem adit, atque in hunc modum alloquitur.

QUartusdecimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum; octavus, ut imperium obtines: medio temporis, tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, nec meæ fortunæ, sed tuæ. Atavus tuus Augustus M. Agrippæ Mytilenense secretum: C. Mæcenati, urbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata? e quibus claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis affuisse videor; grande hujus rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pacuniam circumdedisti adeo ut plerumque intra meipsum volvam: Egone equestri & provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror? Inter Nobiles & longa decora præferentes, novitas mea enituit? Ubi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fœnore exuberat? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram im-

implevimus, & tu quantum Princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus a Principe accipere. Cætera invidiam augent: quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet; sed mihi incumbit: mihi subveniendum est. Quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem; ita in hoc itinere vitæ, senex, & levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, præsidium peto. Jube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur, & tot per annos nixum fastigii regimen: possumus seniores amici quiete respondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent.

O R A T I O IV.

NERONIS SENECÆ RESPONDENTIS.

Quod meditatæ orationi tuæ statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum prævisa, sed subita expedire docuisti. Avus meus Augustus Agrippæ & Mæcenati usurpare otium post labores concessit, sed in ea ipsa ætate, cujus auctoritas tueretur, quicquid illud & qualecunque tribuisset. Attamen neutrum datis a se præmiis exuit. Bello & periculis meruerant: in his enim juventa Augusti versata est. Nec mihi tela & manus tuæ defuissent, in armis agenti. Sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein juventam meam fovisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt. Quæ a me habes, horti, & fœnus, & villæ casibus obnoxia sunt: ac licet multa vi-

deantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quod præcipuus charitate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum & tibi valida ætas, rebusque & fructui rerum sufficiens; & nos prima imperii spatia ingredimur: nisi forte aut te Vitellio ter Consuli, aut me Claudio præponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas; ornatumque robur, subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris principem; sed mea avaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.

ORATIO V.

GALGACI AD BRITANNOS.

Agricola jam perdomitis cæteris Britanniæ gentibus, in extremos hujus regionis recessus penetraverat, & adversus ferocem, indomitumque populum pugnam parabat. Hostium ingentes erant copiæ, ac super triginta millia armatorum convenerant. Tum Galgacus eorum Dux hac oratione militum animos accendit.

QUoties causas belli & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & universi servitutis expertes & nullæ ultra terræ; ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. Ita prælium atque arma quæ fortibus honesta, eadem etiam

igna-

ignavis tutissima sunt. Priores pugnæ quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens: nihil nisi fluctus & saxa: & interiores Romani. Quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non oriens, non occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus, imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus, alibi servituri, auferuntur. Conjuges sororesque etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam frumentum. Corpora ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum & conservis ludibrio est: sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos & viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis, & metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus. Et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam

quibus gloria cariſſima eſt. Brigantes, fœmina duce, exurere coloniam, expugnare caſtra, ac, niſi felicitas in ſocordiam vertiſſet, exuere jugum potuere: nos integri & indomiti, & libertatem non in præſentia laturi, primo ſtatim congreſſu non oſtendemus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit?

An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace laſciviam adeſſe creditis? Noſtris illi diſſenſionibus ac diſcordiis clari, vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui vertunt: quem contractum ex diverſiſſimis gentibus, ut ſecundæ res tenent, ita adverſæ diſſolvent. Niſi ſi Gallos, & Germanos; & (pudet dictu) Britannorum pleroſque, dominationi alienæ ſanguinem commodantes, diutius tamen hoſtes quam ſervos, fide & affectu teneri putatis. Metus & terror eſt, infirma vincula charitatis: quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis ſunt. Nullæ Romanos conjuges accedunt: nulli parentes fugam exprobraturi ſunt: aut nulla pleriſque patria, aut alia eſt. Paucos numero circum trepidos ignorantia, cœlum ipſum ac mare & ſilvas, ignota omnia, circumſpectantes; clauſos quodammodo ac vinctos Dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipſa hoſtium acie inveniemus noſtras manus. Agnoſcent Britanni ſuam cauſam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deſerent illos cæteri Germani, tanquam nuper Uſipii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis: vacua caſtella, ſenum coloniæ, inter male parentes & injuſte imperantes ægra municipia & diſcordantia. Hic Dux, hic exercitus: ibi tributa, & metalla, & cæteræ ſervientium pœnæ: quas in æternum proferre, aut ſtatim ulciſci, in hoc campo eſt. Proinde ituri in aciem, & majores veſtros, & poſteros cogitate.

ORA-

ORATIO VI.

AGRICOLÆ

Suos adhortantis ante pugnam contra Britannos.

OCtavus annus est, commilitones, ex quo virtute & auspiciis Imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot præliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore pene adversus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos Ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum Legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inventa Britannia, & subacta. Equidem in agmine, quum vos paludes montesve & flumina fatigarent, fortissimi cujusque vocem audiebam, quando dabitur hostis? quando acies? Veniunt a latebris suis extrusi. Et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, jampridem mihi decretum est, neque exercitus, neque Ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vita potior; & incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Si novæ gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer. Nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos, clamore debella-

ſtis: ii cæterorum Britannorum fugaciſſimi, ideoque tamdiu ſuperſtites. Quomodo ſilvas ſaltuſque penetrantibus, fortiſſimum quodque animal robore, pavida & inertia, ipſo agminis ſono pelluntur; ſic acerrimi Britannorum jampridem ceciderunt, reliquus eſt numerus ignavorum & metuentium. Quos quod tandem inveniſtis, non reſtiterunt, ſed deprehenſi ſunt noviſſimi: ideo extremo metu corpora defixere in his veſtigiis, in quibus pulchram & ſpectabilem victoriam ederetis. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem. Approbate Reipublicæ nunquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas rebellandi.



ORA-

ORATIONES
E
Q. CURTIO EXCERPTÆ.

ORATIO I.

CHARIDEMI AD DARIUM.

Darius cum statuisset acie cum Alexandro decernere, innumerabilem prope peditum equitumque turbam contraxerat. Cujus universa aspectu admodum lætus, Charidemum exulem Atheniensem percontari cœpit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem. At ille in hunc ferme modum respondit.

VErum & tu forsitan audire nolis, & ego, nisi nunc dixero, alias nequidquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium & totius orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis. Nitet purpura, auroque, fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non subjecerint, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies torva sane & inculta, clypeis hastisque immobils cuneos, & conserta robora virorum teget. Ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen.

agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt: ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines servare didicere. Quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam non Duces magis quam milites callent. Et ne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est. Cibus, quem occupant, satiat. Tempora somni arctiora quam noctis sunt: Jam Thessali equites, & Acarnanes, Ætolique, invicta bello manus, fundis, credo, & hastis igne duratis repellentur. Pari robore opus est. In illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda sunt. Argentum istud atque aurum ad conducendum militem mitte.

ORATIO II.

EJUSDEM CHARIDEMI

Cum Darii jussu, quia verum libere dixerat, ad supplicium duceretur.

HAbeo paratum mortis meæ ultorem. Expetet pœnas mei consilii spreti ipse contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunæ, etiam naturam dedíscere.

ORA-

ORATIO III.

DARII AD MILITES.

Darius pluribus jam præliis fractus, iterum apud Arbelam decertaturus Milites, sic alloquitur.

Terrarum quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paulo ante dominis, jam non de gloria, sed de salute, &, quod saluti præponitis, de libertate pugnandum est. Hic dies Imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet, aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere: magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eo, unde pulsis ne fugæ quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt: non incolas suos urbes, non cultores habent terræ. Conjuges quoque & liberi sequuntur hanc aciem: parata hostibus præda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem pene immensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus, ne tantæ multitudini deessent, providi: locum in quo acies explicari posset, elegi. Cætera in vestra potestate sunt: audete modo vincere; famamque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quæ ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem variam & exhaustam. Nam ultimi, quos locavit aversos, terga jam præbent. Obteri mehercule equorum ungulis possunt; etiamsi nil præ-

ter falcatos currus emisero. Et bello vicerimus, si vincimus prælio: nam ne illis quidem ad fugam est locus: hinc Euphrates, illinc Tigris, prohibet inclusos. Et quæ antea pro illis erant, in contrarium conversa sunt. Nostrum mobile & expeditum agmen est; illud præda grave. Implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus: eademque res & causa victoriæ erit, & fructus. Quod si quem e vobis nomen gentis movet, cogitet Macedonum illic arma esse, non corpora. Multum enim sanguinis invicem hausimus; & semper gravior in paucitate jactura est. Jam Alexander, quantuscumque ignavis & timidis videri potest, unum animal est: &, si quid mihi creditis, temerarium, & vecors, adhuc nostro pavore, quam sua virtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas aspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit. Præterea breves & mutabiles vices rerum sunt: & fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita Dii fata ordinaverunt, ut Persarum Imperium, quod secundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in prosperis rebus oblivio est. Modo Græcis ultro bellum inferebamus: nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Jactamur invicem varietate fortunæ. Videlicet Imperium, quod mutuo affectamus, una gens non capit.

Cæterum, etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet. Ad extrema perventum est. Matrem meam, duas filias; Ochum in spem hujus Imperii genitum; illos Principes, illam sobolem regiæ stirpis; Duces vestros Regum instar, victos habet: nisi quod in vobis est, ipse ego majore parte captivus sum. Eripite viscera mea ex vinculis. Restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso; parentem, liberos: nam conju-

gem

gem in illo carcere amisi. Credite nunc omnes tendere ad vos manus; implorare patrios Deos; opem vestram, misericordiam, fidem exposcere: ut servitute, ut compedibus, ut precario victu ipsos liberetis. An creditis æquo animo iis servire, quorum Reges esse fastidiant? Video admoveri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus iis, quæ dixi, possum esse contentus. Precor vos per Deos patrios æternumque ignem, qui præfertur altaribus; fulgoremque Solis intra fines regni mei orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademtum Medis Lydisque Imperium primus in Persidem intulit: vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. Ite alacres & spe pleni, ut quam gloriam accepistis a majoribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam, ut conspici possim, curru vehor: nec recuso, quo minus imitemini me, sive fortitudinis exemplum, sive ignaviæ fuero.

ORA-

ORATIO IV.

SCYTHARUM AD ALEXANDRUM.

Cum Alexander in Scythas expeditionem pararet, ejus gentis Legati ad Alexandrum venere; quorum natu maximus sic eum allocutus est.

SI Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres: & hoc assequutus, scire velles ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque, concupiscis quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam: deinde, si humanum genus omne superaveris, cum sylvis, & nivibus, & fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum. Quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit: & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis sylvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus. Dona nobis data sunt (ne Scytharum gentem ignores) jugum boum, aratrum, & sagitta, & patera. His utimur & cum amicis, & adversus inimicos. Fruges amicis damus boum labore quæsitas: patera cum his vinum Diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Syriæ Regem, & postea Persarum Medorumque superavimus; patuitque nobis iter usque in Ægyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos ve-

nire; omnium gentium, quas adisti, latro es. Lidiam cepisti; Syriam occupasti; Persidem tenes; Bactrianos habes in potestate; Indos petisti: jam etiam ad pecora nostra avaras & instabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus est; quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem; ut quo plura habes, acrius, quæ non habes cuperes. Non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra hæreas? Dum illos subigis, Sogdiani bellare cœperunt: bellum tibi ex victoria nascitur. Nam ut major fortiorque sis quam quisquam; tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Transi modo Tanaim; scies quam late pateant, nunquam tamen consequeris Scythas: paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rursus quum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris: eadem velocitate & sequimur, & fugimus. Scytharum solitudines Græcis etiam proverbiis audio eludi. At nos deserta & humano cultu vacua, magis quam urbes & opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec invita teneri potest. Salubre consilium, sequens quam præsens tempus ostendet melius. Impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus porrigit, pennas quoque comprehendere non sinit. Denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere, sin autem homo es; id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse propter quæ tui oblivisceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti: nam & firmissima est inter pares amicitia; & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse, cave credas: inter dominum & servum nulla amicitia est: etiam in pace, belli tamen jura servantur. Jurando gratiam Scythas sancire ne credideris: colendo fidem; jurant. Græcorum ista cautio est, qui pacta con-

consignant, & Deos invocant: nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos. Nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Cæterum, nos & Asiæ & Europæ custodes habebis: Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus: ultra Tanaim usque ad Thraciam colimus: Thraciæ Macedoniam conjunctam esse fama est. Utrique Imperio tuo finitimos hostes an amicos velis esse, considera.

ORATIO V.

ALEXANDRI AD MILITES SEDITIOSOS.

Alexander seniores militum in Græciam remittere statuerat quindecim millia tantum retenturus. At cum reliqui etiam seditiosis vocibus missionem postulare cepissent, eos Alexander hac oratione increpuit.

QUid hæc repens consternatio, & tam procax atque effusa licentia denunciat? Eloqui timeo; palam certe rupistis imperium, & precario Rex sum: cui non alloquendi, non noscendi monendique, aut intuendi vos jus reliquistis. Equidem quum alios dimittere in patriam, alios mecum paulo post deportare statuerim; tam illos acclamantes video, qui abituri sunt, quam hos, cum quibus præmissos subsequi statui. Quid hoc est rei? dispari in causa idem omnium clamor est! Pervelim scire, utrum qui discedunt, an qui retinentur, de me querantur. *Crederes uno ore omnes sustulisse clamorem; ita pariter ex tota concione responsum est*, Omnes queri. *Tum ille*, Non Hercule, *inquit*, potest fieri, ut adducar querendi simul omnibus hanc causam esse, quam ostenditis, in qua major pars exercitus non est; utpote quum plures dimiserim, quam retenturus sum. Subest nimirum al-

altius malum, quod omnis avertit a me. Quando enim Regem universus exercitus deseruit? Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos; sed est quidam in illis pudor a cæteris destitutos relinquendi.

Verum ego tam furiosæ consternationis oblitus, remedia insanabilibus conor adhibere. Omnem Hercule spem, quam ex vobis conceperam, damno: nec ut cum militibus meis (jam enim esse desistis) sed, ut cum ingratissimis oportet, agere decrevi. Secundis rebus, quæ circumfluunt vos, insanire cœpistis, obliti status ejus, quem beneficio exuistis meo: digni Hercule qui in eodem consenescatis; quoniam facilius est vobis adversam, quam secundam regere fortunam.

En tandem Illyriorum paulo ante & Persarum tributariis Asia & tot gentium spolia fastidio sunt. Modo sub Philippo seminudis, amicula ex purpura sordent: aurum & argentum oculi ferre non possunt: lignea enim vasa desiderant, & ex cratibus scuta, rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi, & quingenta talenta æris alieni; quum omnis regia supellex haud amplius quam sexaginta talentorum esset: meorum operum fundamenta, quibus tamen (absit invidia) imperium maximæ terrarum parti imposui.

Asiæne pertæsum est, quæ vos gloria rerum gestarum Diis pares fecit? In Europam ire properatis Rege deserto, quum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni æs alienum luissem: nempe in Asiatica præda. Nec pudet profundo ventre devictarum gentium spolia circumferentes, reverti velle ad liberos conjugesque; quibus pauci præmia victoriæ potestis ostendere. Nam cæterorum, dum etiam spei vestræ obviam istis, arma quoque pignori sunt. Bonis vero militibus cariturus sum, pellicum suarum concubinis: quibus hoc solum ex tantis opibus superest, in quod impenditur.

Proinde fugientibus me pateant limites; facessite hinc

hinc ocius: ego cum Persis abeuntium terga tutabor. Neminem teneo: liberate oculos meos, ingratissimi cives. Læti vos excipient parentes, liberique sine vestro Rege redeuntes! obviam ibunt desertoribus transfugisque! Triumphabo mehercule de fuga vestra, & ubicumque ero, expetam poenas; hos, cum quibus me relinquitis, colendo, præferendoque vobis. Jam autem scietis & quantum sine Rege valeat exercitus, & quid opis in me uno sit.

FINIS.

PARS SECUNDA

QUÆ

SELECTISSIMA

POETARUM

TUM VETERUM, TUM RECENTIORUM

CARMINA

COMPLECTITUR.

LECTORI BENEVOLO.

CUm ea ætate Poeseos rudimentis Adolescentes instituantur, qua nulla iis est adhuc rerum experientia, nulla liberalium artium, atque disciplinarum cognitio, ratio autem ipsa infirma admodum, atque imbecillis; ille profecto desiperet, qui eorum quenquam, dum primis hisce elementis imbuuntur, Poetam optimum fieri posse speraret. At illud saltem Institutores curare debent diligentissime, ut Adolescentes interea præsidiis omnibus, adjumentisque communiantur, quibus per se ipsi, cum ætas tulerit, Poeticæ Artis præstantiam assequi possint. Porro hoc in primis necesse est, ut Vates optimos noverint, quos impensius colant, quorumque aut vim, & impetum, aut veneres, gratiasque imitentur. Id vero quinam apte præstare possint, si unum ipsis Auctorem tantummodo, aut alterum exhibeamus? Multo sane consultius facturos nos esse putavimus, si omnium iis, aut ferme omnium optimorum Vatum exempla traderemus. Primo igitur ex Catullo, Tibullo, Propertio, Ovidio ea delegimus, quæ puriora simul, atque elegantiora visa sunt. Tum quia Martialis, etsi sæpius ætatis suæ vitio nimis indulsit, interdum tamen nonnulla edidit elegantissima, ea quoque accurate decerpsimus. Satyras duas Persii alteram, alteram Juvenalis addidimus, faciliores scilicet, & ingenio Adolescentium magis accomodatas. Lucretii satis duximus specimen aliquod exhibere, unde ejus præstantia conjici posset. Excerpta quoque nonnulla ex Lucano, Statio, Silio Italico, & Claudiano tradidimus, qui licet minus probentur cum aliis de caussis, tum ob nimiam styli luxuriem, atque tumiditatem; nihilominus eo saltem nomine ab Adolescentibus cognoscantur necesse est,

ut eorum vitia effugiant; tametsi plura in iis sunt, quæ imitari etiam oporteret. Ex Tullii pariter fragmentis nonnihil deprompsimus, ut pateat Oratorem illum eximium non adeo Musis invisum fuisse, ut falso vulgus existimat. Epigrammata quædam adjunximus Ausonii, Senecæ, Plinii, aliorumque; nonnulla insuper, quorum incertus Auctor, nonnulla etiam ex Græco versa, at elegantia cæteris comparanda. Denique cum sæculi XVI. Scriptores felici adeo studio Latinas Musas coluerint, quidni aliquid ex iis etiam delibaremus? Mirabitur fortasse quispiam cur ex Horatio, Virgilioque nihil sumserimus. At eos, utpote Poetarum Principes, integros Adolescentibus tradendos esse censuimus. Habes, amice Lector, totam collectionis hujusce rationem. Ea utere diligenter, ac vale.



C. VA-

C. VALERII CATULLI.

HENDECASYLLABI.

1. AD CORNELIUM NEPOTEM.

Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Juppiter, & laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli est
Qualecumque: quod, o patrima Virgo,
Plus uno maneat perenne sæclo.

2. DE PASSERIS MORTE.

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum;
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:

Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat;
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis;
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
Oh factum male! oh misselle passer!
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

3. AD VERANNIUM EX HISPANIA REDUCEM.

Veranni omnibus e meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis:
Venisti ne domum ad tuos penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti? o mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus: applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est beatiusve?

4 AD LICINIUM CALVUM

Qui Catullo per jocum miserat obscuriorum Poetarum Carmina,

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes Poetis?
Isti Dii mala multa dent clienti,

Qui

Qui tantum tibi miſit impiorum.
Quod ſi, ut ſuſpicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator:
Non eſt mi male, ſed bene, ac beate,
Quod non diſpereunt tui labores.
Dii magni, horribilem, & ſacrum libellum,
Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſti, continuo ut die periret
Saturnalibus optimo dierum.
Non non hoc tibi, ſalſe, ſic abibit.
Nam ſi luxerit, ad librariorum
Curram ſcrinia, Cœſios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his ſuppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tuliſtis
Sæcli incommoda peſſimi Poetæ.

5. AD CÆCILIUM.

Poetæ tenero meo ſodali
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quaſdam volo cogitationes
Amici accipiat ſui, meique.
Quare, ſi ſapiet viam vorabit.

1 IN ARRIUM.

Chommoda dicebat, ſiquando commoda vellet
  Dicere, & *hinſidias* Arrius inſidias:
Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
  Cum quantum poterat, dixerat *hinſidias*.
Credo ſic mater, ſic Liber avunculus ejus,
  Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc miſſo in Syriam, requierant omnibus aures:
  Audibant eadem hæc leniter, & leviter:

Nec sibi postilla metuebant talia verba:
  Cum subito adfertur nuntius horribilis:
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
  Jam non Ionios esse, sed *Hionios*.

2. DE SMYRNA CINNÆ POEMATE.

Smyrna mei Cinnæ, nonam post denique messem,
  Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem;
Millia cum interea quingenta Hortensius uno
  In pede stans fixo carmina ructat hians;
Smyrna cavas Atracis penitus mittetur ad undas:
  Smyrnam incana diu sæcula pervolvent.
At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam,
  Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monimenta laboris;
  At populus tumido gaudeat Antimacho.

3. INFERIÆ AD FRATRIS TUMULUM IN TROJANO LITORE EXTINCTI.

Multas per gentes, & multa per æquora vectus,
  Advenio has miseras, Frater, ad inferias:
Ut te postremo donarem munere mortis,
  Et mutum nequidquam adloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
  Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea, prisco quæ more parentum
  Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
  Atque in perpetuum, Frater, ave, atque vale.

4. AD AMICUM.

Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
  Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut vere promittere possit,
  Atque id sincere dicat, & ex animo:

Ut

Ut liceat nobis tota perducere vita
 Alternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ:

ELEGIÆ.

AD MANLIUM,

Qui cum uxorem amisisset Catullium rogaverat, ut Carmina consolatoria sibi scriberet, & libellos quosdam legendos mitteret.

Quod mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,
 Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
Naufragum ut ejectum spumantibus æquoris undis
 Sublevem, & a mortis limine restituam,
Quem veterum dulci scriptorum haud carmine Musæ
 Oblectant, cum mens anxia pervigilet:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum;
 Muneraque, & Musarum hinc petis, & Charitum.
Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
 Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe, queis merser fortunæ fluctibus ipse,
 Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore, quo primum vestis mihi tradita pura est,
 Jucundum cum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
 Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
 Abscidit. O misero frater adempte mihi.
Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater:
 Tecum una tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
 Quæ tuus in vita dulcis alebat amor,
Cujus ego interitu tota de mente fugavi
 Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
 Hæc tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam quod scriptorum non magna est copia apud me,

Hoc fit, quod Romæ vivimus: illa domus;
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas, me mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo:
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est:
Ultro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, Deæ, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis,
Ne fugiens sæclis obliviscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis: vos porro dicite multis
Millibus; & facite hæc charta loquatur anus.
Omnibus inque locis celebretur fama sepulti,
Notescatque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam
Deserto in Manlii nomine opus faciat:
Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, & in quo me torruerit genere:
Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis:
Mæsta neque adsiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristique imbre madere genæ:
Qualis in aerii pellucens vertice montis
Rivus, muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona præceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos æstus hiulcat agros.
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius adspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Se fert illa domum, & fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constituit solea;
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,

Pro-

Protesilaeam Laodamia domum
Acceptam, frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia cœlestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro;
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cœperat ad sese Troja ciere viros:
Troja nefas, commune sepulcrum Europæ, Asiæque,
Troja virum, & virtutum omnium acerba cinis:
Quæ nempe & nostro letum miserabile fratri
Adtulit: hei misero frater adempte mihi;
Hei misero fratri jucundum lumen ademptum;
Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe, non inter nota sepulchra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscena, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur unde undique pubes
Græca, penetrales deseruisse focos;
Ne Paris abducta gavisus libera sponsa
Otia pacato degeret in talamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius, atque anima
Conjugium; tanto te absorbens vortice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum.
Quale ferunt Graji Peneum prope Cyllenæum
Siccari emulsa pingue palude solum,
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus ut cœli tereretur janua Divis,

Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod Divum domitum ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri nata nepotis alit:
Qui cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens
Suscitat ab cano vulturium capite.
Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
Ut semel es flavo conciliata viro.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis:
Ne vestrum scabra tangat rubigine nomen
Hæc atque illa dies, atque alia atque alia.
Huc addent Divi quam plurima, quæ Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.

JAMBICI TRIMETRI.

I. PHASELUM LAUDAT,

Quo ex Bithynia in lacum Benacum revectus est.

PHaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum.
Ubi iste post phaselus, antea fuit
Comata silva: nam Cytorio in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit comas.
Amastri Pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse i & esse cognitissima

Ait

Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse, læva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Jupiter
Simul secundus incidisset in pedem:
Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi esse facta, quum veniret a mari
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum,
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

2. HORTORUM DEUS

Custos prædioli, quæ sibi litantur, viatori exponit.

Ego hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus,
Agellulum hunc sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur:
Mihi rubens arista Sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram:
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem,
Proin viator hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis: hoc tibi expedit.

1. AD EGNATIUM SEMPER RIDENTEM.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum filii
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet: hunc habet morbum
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati,
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes:
Tamen renidere usquequaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.

2. AD AGRUM SUUM.

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi, Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt,
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore exspui tussim:
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas adepto, esse dedit, cœnas.
Nam Sextianus dum volo esse conviva,
Orationem in Attium petitorem,
Plenam veneni, & pestilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me procuravi ocimoque, & urtica,
Quare refectus maximas tibi grates

Ago

Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sexti recepso: quin gravedinem, tussim
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

ANGELICI, VEL PRIAPEII.

1. AD PRIAPUM.

Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaq; silva Priape
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

2. HORTORUM DEUS.

Hunc ego juvenes locum, villulamque palustrem
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis
Quercus arida, rustica conformata securi,
Nutrivi, magis & magis ut beata quotannis.
Hujus nam domini colunt me, Deumque salutant,
Pauperis tugurii pater, filiusque:
Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque a meo sit remota sacello:
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenera virens spica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, & suave olentia mala.
Uva pampinea rubens educta sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi sed tacebitis aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella.
Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas;
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus:
Inde sumite: semita hæc deinde vos feret ipsa.

CARMEN SÆCULARE.
AD DIANAM.

Dianæ ſumus in fide,
Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Depoſivit olivam,
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium
Saltumque reconditorum
Amniumque ſonantum.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis?
Tu potens trivia, & notho es
Dicta lumine luna.
Tu curſu, Dea, menſtruo
Metiens iter annuum,
Ruſtica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut ſolita es, bona
Soſpites ope Gentem.

EPITHALAMION SEU CARMEN NUPTIALE.

Veſper adeſt, juvenes conſurgite: verſper Olympo
Exſpectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
Cer-

Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra.
Nimirum æthereos ostendit Noctifer ignes.
Sic certe: viden, ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere: cavent, quo jure parent se.
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
Non facilis nobis, æquales, palma parata est.
Adspicite, innuptæ secum ut meditata requirant.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur: amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere jam incipient, jam respondere decebit:
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?
Qui natum possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
Hespere, qui cœlo lucet jucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma?
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes:
Nec junxere prius, quam se tuus extulit ardor.
Quid datur a Divis felici optatius hora?
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, ó Himenæe.
Hesperus e nobis, æquales, abstulit unam.
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:




Sic

Sic virgo, dum intacta manet, tum cara suis; sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.
Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta, senescit;
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, & minus est invisa parenti.
At tu ne pugna cum tali conjuge virgo;
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen, o Hymenæe Hymen ades, o Hymenæe.



A L-



ALBII TIBULLI.

ELEGIÆ.

AD MESSALLAM.

Cum secum in Macedoniam proficiscens morbo correptus Corcyra subsistere cogeretur.

IBitis Ægæas sine me, Messalla, per undas;
  O utinam memores ipse, cohorsque mei.
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:
  Abstineas avidas, mors modo nigra, manus.
Abstineas, mors atra, precor: non hic mihi mater,
  Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus:
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
  Et fleat effusis ante sepulchra comis:
Delia non usquam, quæ, me cum mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
  Rettulit e triviis omnia certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
  Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum jam mandata dedissem,
  Quærebam tardas anxius usque moras.

Aut

Aut ego sum caussatus aves, aut omina dira,
 Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
 Offensum in porta signa dedisse pedem!
Quid tua nunc Isis tibi, Delia, quid mihi prosunt
 Illa tua toties æra repulsa manu?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
 Picta docet templis multa tabella tuis:
Ut mea votivas persolvens Delia, noctes
 Ante sacras lino tecta fores sedeat:
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
 Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
 Reddereque antiquo menstrua thura Lari.
Quam bene Saturno vivebant Rege, prius quam
 Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
 Effusum ventis præbueratque sinum:
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
 Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus:
 Non domito frenos ore momordit equus:
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
 Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
 Obvia securis ubera lactis oves,
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
 Immiti sævus duxerat arte faber,
Nunc Jove sub domino cædes, & vulnera semper:
 Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.
Parce, Pater, timidum non me perjuria terrent,
 Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
 Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus,
 Messallam terra dum sequiturque mari.
Sed me, nam casto fuerint hæc præmia amanti,
 Ipsa Venus campos ducet in Elysios.

Hic

Hic choreæ, cantusque vigent, passimque vagantes
  Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
  Floret odoratis terra benigna rosis.
At scelerata jacet sedes in nocte profunda
  Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
  Sævit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta Serpens, tum Cerberus ore
  Stridet, & æratas excubat ante fores,
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
  Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectusque novem Tityus per jugera terræ
  Adsiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, & circum stagna; sed acrem
  Jam jam poturi deserit unda sitim:
Et Danai proles, Veneris quod numina læsit,
  In cava lethæas do lia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
  Optavit lentas & mihi militias.
At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
  Adsideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna
  Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella
  Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
  Sed videar cœlo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris longos turbata capillos
  Obvia festivo, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis aurora nitentem
  Luciferum roseis candida portet equis.

2. IN MESSALLÆ NATALEM DIEM.

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
  Stamina, non ulli dissoluenda Deo.
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem

Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere: novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta Duces.
At te victrices lauros Messalla gerentem,
Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos, Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici:
Testis Arar, Rhodanusq; celer, magnusq; Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Tiger.
An te Cydne canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis?
Quantus & æthereo contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba suo?
Utque maris vastum prospectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis &, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis æstiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi:
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum:
Primus inexpertæ commisit semina terræ;
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert,

Cru-

Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri:
Sed chorus, & cantus, & levis aptus amor:
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriæ vestes, & dulci tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, & centum ludis, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero:
Illius & nitido stillent unguenta capillo
Et capite, & collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dem thuris honores,
Liba, & Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, & circa stet venerata senem.
Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba lare:
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.
Te canet agricola e magna cum venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque veni.

3. AMBARVALE SACRIFICIUM.

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus, & agros,
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis; nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Casta placent Superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Cer-

Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
  Vinctaque post olea candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
  Vos mala de nostris pellite limitibus:
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus areis
  Ingerat ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum saturi bona signa coloni
  Ludet, & ex virgis exstruet arte casas;
Eventura precor; viden, ut felicibus extis
  Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi fumosum veteris proferte Falernum
  Consulis, & Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent; non festa luce madere,
  Est rubor, errantes & male ferre pedes.
Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat,
  Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messalla triumphis,
  Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
  Redditur agricolis gratia cœlitibus.
Rura cano, rurisque Deos: his vita magistris
  Destituit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
  Servitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
  Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu
  Deponit flavas annua terra comas.
Rura levis verno flores apis ingerit alveo,
  Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
  Cantavit certo rustica verba pede;

Et

Et satur arenti primum est modulatus avena
  Carmen, ut ornatos duceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
  Primus inexperta duxit ab arte choros:
Huic datus a pleno memorabile munus ovili
  Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primum de flore coronam
  Fecit, & antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
  Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & femineus labor est, hinc pensa, colusque,
  Fusus, & adposito pollice versat opus.
Atque aliqua adsidue textrix operata Minervam
  Cantat, & adpulso tela sonant latere.
Ipse quoque inter agros, interque armenta Cupido
  Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
  Hei mihi quam doctas nunc habet ille manus.
Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas,
  Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
  Voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet;
Aut etiam sibi quisque palam, nam turba jocosa
  Obstrepit, & Phrygio tibia curva sono.
Ludite: jam nox jungit equos, currumq; sequuntur
  Matris lascivo sidera fulva choro:
Postque venit tacitus fulvis circumdatus alis
  Somnus, & incerto somnia nigra pede.

4. SOMNIUM.

Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
  Quæ tulit extrema proxima nocte quies.
Ite procul, vanum, falsumque avertite visum:
  Desinite in vobis quærere velle fidem.
Divi vera monent: venturæ nuntia sortis
  Vera monent Thuscis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

Et pavidas mentes falsa timere jubent.
Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, utrumque est, sive illi vera moneri,
Mendaci somno credere sive volent:
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum pertimuisse velit:
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec læsit magnos impia lingua Deos.
Jam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas.
Nec me sopierat menti Deus utilis ægræ
Somnus: sollicitas deficit ante domos.
Tandem cum summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic juvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus, nostra ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa cervice fluebant:
Stillabat Tyrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus:
Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas:
Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia: ut autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla:
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ fulgens testudine, & auro
Pendebat læva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc tristi dulcia verba modo:
Salve cura Deum, casto nam rite poetæ
Phœbusque, & Bacchus, Pieridesque favent.
Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque sorores
Dice-

Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, ævique futuri
Eventura pater posse videre dedit.
Quare, ego quæ dico non fallax, accipe, vates;
Quodque Deus vero Cynthius ore ferat.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec timido casta puella viro:
Pro qua sollicitas cœlestia numina votis:
Quæ tibi securos non sinit ire dies:
Et cum te fusco somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus:
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
Alterius mavult esse puella viri;
Diversasque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen;
Ah pereat, didicit fallere si qua virum.
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis:
Tu modo cum multa brachia tende fide.
Improba spes docuit validos tentare labores:
Improba spes docuit verbera sæva pati.
Me quondam Admeti niveas pavisse juvencas,
Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos:
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
Ille ego Latonæ filius, atque Jovis.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas:
Vincuntur molli pectora dura prece
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse
Felix, ac alium desine velle virum.
Dixit, & ignavus defluxit pectore somnus.
Ah ego ne possim tanta videre mala!
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectori inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti,

Nec flammam volvens ore Chimæra fero:
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput:
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram:
Nec te conceptam sæva leæna tulit:
Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta, & duris non habitanda domus:
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

5. AD LIBERUM PATREM.

Candide Liber ades, sic sit tibi mystica vitis
Semper: sic hedera tempora vincta feras.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem:
Sæpe tuo cessit munere victus amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho,
Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores;
Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam, me duce, se comitem.
Aut si quis vini certamen mite recuset,
Fallat eum tecto sæpe puella dolo.
Ille facit dites animos Deus, ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fulvas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc ipse, & majora valet. Sed poscite Bacchi
Munera: quem vestrum pocula sicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illos,
Qui se, quique una vina jocosa colunt.
Jam venit iratus nimium, nimiumque severus,
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas, qualis, quantusque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.

Sed

Sed procul a nobis hic sit timor: illaque, si qua est,
 Quid valeat læsi sentiat ira Dei.
Quid precor, ah demens! venti temeraria vota,
 Aeriæ & nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neæra:
 Sis felix, & sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ:
 Venit post multas una serena dies.

AD PHOEBUM

Pro Sulpicia ægrotante.

Huc ades, & teneræ morbos expelle puellæ;
 Huc ades, intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi propera, nec te jam, Phœbe, pigebit
 Sulpiciæ medicas adplicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
 Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcumque mali est, & quidquid triste timemus,
 In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras quicumque sopores,
 Quicumque & cantus corpora fessa levant.
Neu Sponsum torque, metuit qui fata puellæ,
 Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet: interdum, quod langueat illa;
 Dicit in æternos aspera verba Deos.
Phœbe, fave: laus magna tibi tribuetur, in uno
 Corpore servato, restituisse duos.
Jam celeber, jam lætus eris, cum debita reddet
 Certatim sanctis lætus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba Deorum:
 Optabunt artes & sibi quisque tuas.

SEXTI AURELII
PROPERTII.

ELEGIÆ:

I. AD CALLIMACUM, ET PHILETEN

Græcos Elegiarum Scriptores.

CAllimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me fama levat terra sublimis; & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis;
Et mecum in curru parvi vectantur amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ:

Non

Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas:
Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Hæmonio comminus isse viro?
Idæum Simoenta Jovis cunabula parvi?
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumq; , Helenumq; , & Polydamanta sub armis?
Qualemcumque Parim vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, & tu
Troja bis Oetæi numine capta Dei:
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes,
Illum post cineres auguror esse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulchro;
Provisum est, Lycio vota probante Deo.

2. DE CARMINUM VI, ET PERENNITATE.

Orphea detinuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Ætna
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho, & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phæacias æquant pomaria silvas,
Non operosa rigat Martius antra liquor.
At Musæ comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunate meis quisquis celebrabere chartis,
Carmina virtutis sunt monumenta tuæ.

Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
  Nec Jovis Elæi cœlum imitata domus:
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
  Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
  Excidet. Ingenio stat sine morte decus.

3. DE AUGUSTI VICTORIIS.

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Hæmonio jam dare tempus equo:
Jam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
  Et Romana mei dicere castra Ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
  Laus erit. In magnis & voluisse sat est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anima, ex humili jam carmine: sumite vires,
  Pierides: magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equites post terga tueri
  Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho:
  Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Hæc ego castra sequar, vates tua castra canendo,
  Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante coronæ pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
  Pauperibus sacris vilia thura damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes:
  Sed modo Permessi flumine lavit amor.

4. DE

4. DE EJUSDEM IN ORIENTEM EXPEDITIONE.

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
  Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces, parat ultima terra triumphos,
  Tigris, & Euphrates sub tua jura fluent.
Sera sub Ausoniis veniet provincia virgis:
  Adsuescent Latio Partha trophæa Jovi.
Ite, agite expertæ bello date lintea proræ,
  Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano, Crassos, cladesque piate:
  Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ;
  Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis onerato Cæsaris axe
  Ad vulgi plausus sæpe resistere equos;
Tela fugacis equi, & bracchati militis arcus,
  Et subter captos arma sedere Duces.
Ipsa tuam prolem serva Venus: hoc sit in ævum,
  Cernis ab Ænea quod superesse, caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores:
  Mi sat erit, Sacra plaudere posse via.
Pacis Amor Deus est, pacem veneramur amantes:
  Stant mihi cum Domina prælia dura mea:
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis:
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
  Nec miser æra peto classe, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
  Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte;
  Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis jactamur, & hostem
  Quærimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

Victor cum victis pariter miscebitur umbris:
  Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
  Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
  Musarumque choris implicuisse manus,
Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
  Et caput in verna semper habere rosa.
Atque jocos ubi jam gravis interceperit ætas,
  Sparserit integras alba senecta comas:
Tum mihi Naturæ libeat perdiscere mores:
  Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua Luna redit:
Unde salo superant venti: quid flamine captet
  Eurus, & in nubes unde perennis aqua:
Sit ventura dies, mundi quæ subruat arces:
  Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas:
Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi,
  Solis & auratis luxerit orbis equis:
Cur segnis versare boves, & plaustra Bootes:
  Pleiadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat æquor,
  Plenus & in partes quatuor annus eat.
Sub terris sint jura Deum, & tormenta Gigantum:
  Tisiphones atro si furit angue caput:
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei:
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas:
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, & Tityo jugera pauca novem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
  Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitæ superest mihi: vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

5. DE

5. DE URBE ROMA.

Hoc quodcumque vides, hospes, quam maxima Roma est.
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubuere boves,
Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bobus erat.
Quo gradibus domus illa Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita solemnes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere Divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
Pastor & ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,
Unde Licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
Miscebant usta prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo:
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Taties, Ramnesque viri, Luceresque coloni:
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillæ,
Et qui nunc nulli, maxima turba Gabii:

Et stetit Alba potens albæ suis omine nata,
  Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus:
  Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti Troja Penates:
  O quali vecta est Dardana puppis ave!
Jam bene spondebant tunc omnia, quod nihil illam
  Læserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in nati tremulus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Decii, Brutique secures,
  Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
  Felix terra tuos cepit, Iule, Deos.
Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
  Dixit Aventino rura pianda Remo:
Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
  Longævum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum, Danai, male vincitis. Ilia tellus
  Vincet, & huic cineri Jupiter arma dabit.
Optima nutricum nostris, Lupa Martia, rebus,
  Qualia creverunt mœnia lacte tuo.
Mœnia namque pio conor disponere versu:
  Hei mihi quod nostro est parvus in ore sonus.
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris;
  Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
  Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida, cives,
  Omina, & inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, & cognomina prisca locorum:
  Has meus ad metas sudet oportet equus.

6. VER-

6. VERTUMNUS.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Thuscus ego, & Thuscis orior: nec pœnitet inter
  Prælia Volsinios deseruisse focos.
Hæc me turba juvat, nec templo lætor eburno:
  Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat; & ajunt
  Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum percipimus anni,
  Vertumni rursus credidit esse sacrum,
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
  Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
  Cernis, & æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
  Cum prius invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces, alius mihi nominis index
  De se narranti tu modo crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
  In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puellas
  Atque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
  Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, & (memini) laudabar in illis:
  Corbis at imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at cum est imposita corona,
  Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi;
  Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumpta
  Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus; & ejus,

Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo prædabor, & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositum fronti langueat ante meæ.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Thuscis,
Unde hodie vicus nomina Thuscus habet.
Tempore, quo sociis venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati:
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias, Divum sator, ut Romana per ævum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: hæc spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.
At tibi, Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus:
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est: operi non datur unus honos.

7. DE PRÆLIO ACTIACO.

Sacra facit vates: sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Spar-

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
  Tibia Mydoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes, alio sint aere noxæ:
  Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis ædem:
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
  Dum canitur, quæso, Jupiter, ipse vaces,
Et Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
  Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
  Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit æquore moles
  Pinea, nec remis æqua suvebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
  Pilaque feminea turpiter apta manu.
Hinc augusta ratis plenis Jovis omine velis,
  Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum & radiis picta tremebat aqua:
Cum Phæbus linquens stantem, se vindice, Delon
  (Nam tulit iratos mobilis unda Notos)
Adstitit Augusti puppim super, & nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crines in colla solutos,
  Aut testudineæ carmen inerm lyræ.
Sed qualis adspexit Pelopejum Agamemnona vultu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
  Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait: O longa mundi servator ab Alba,
  Auguste, Hectoreis cognite major avis:
Vince mari: jam terra tua est: tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ te nunc vindice freta
  Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  Ire Palatinas non bene vidit aves.

Et

Et nimium remis audent, proh turpe! Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat! invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centaurica saxa minantes,
Tigna cava, & pictos experiare metus.
Frangit, & attollit vires in milite caussa;
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi: dat femina pœnas:
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum Deus; & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circa libera signa Deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Dii melius: quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias.
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor; & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeat convivia luco,
Blanditæque fluant per mea colla rosæ;
Vinaque fundantur prælis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis,
Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros:
Cepheam hic Meroen, fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum fœdere Parthum;
Reddat signa Remi; mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista trophæa suos.

Gau-

Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas,
  Ire per Euphratem ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

8. CORNELIA,

Jam Vita functa ad Virum suum L. Æmilium Paullum Censorem Epistolam hanc conscribere fingitur.

DEsine, Paulle, meum lacrymis urgere sepulchrum;
  Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
  Nempe tuas lacrymas litora surda bibent.
Vota movent Superos: ubi portitor æra recepit,
  Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic mœstæ cecinere tubæ, cum subdita nostrum
  Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
  Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
  En sum, quod digitis quinque levatur, onus:
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
  Et quæcumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
  Det Pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
  In mea sortita judicet ossa pila.
Adsideant fratres, juxta Minoida sellam
  Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces: taceant Ixionis orbes:
  Fallax Tantaleo corripiare liquor:
Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
  Et jaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me: si fallo, pœna sororum

Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita decora trophæi,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas:
Jungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit. Achille, domos:
Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum;
Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Nec possim melior judicis esse metu.
Quælibet austeras de me terat urna tabellas,
Turpior adsensu non erit ulla meo.
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybellen,
Claudia turritæ rara ministra Deæ:
Vel cui commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos,
Nec te dulce caput, mater Scribonia, læsi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrimas vidimus ire Deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Te Lepide, & te, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus & fratrem sellam geminasse Curulem,
Con-

Consule quo facto tempore rapta soror:
Filia tu speciem censuræ nacta paternæ,
Fac teneas unum nos imitata virum.
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur, auсturis tot mea fata malis.
Hæc est fœminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Et bene habet; numquam mater lugubria sumpsi,
Venit in exsequias tota caterva meas.
Nunc tibi commendo communia pignora natos,
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris:
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis;
Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:
Somniaque in faciem credita sæpe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsuræ singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit & nostro cauta noverca toro,
Conjugium, pueri, laudate, & ferte paternum:
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis? collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos.
Discite venturam jam nunc sentire senectam,
Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos:
Prole mea Paullum sic juvat esse senem.
Caussa perorata est. Flentes me surgite testes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus.
Moribus & cœlum patuit: sim digna merendo;
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

P. OVI-



P. OVIDII NASONIS.

ELEGIÆ.

EX TRISTIUM LIBRIS.

I. DE SUO AB URBE DISCESSU.

CUm ſubit illius triſtiſſima noctis imago,
  Quæ mihi ſupremum tempus in Urbe fuit;
Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui;
  Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me diſcedere Cæſar
  Finibus extremæ juſſerat Auſoniæ.
Nec mens, nec ſpatium fuerat ſatis apta paranti;
  Torpuerant longa pectora noſtra mora.
Non mihi ſervorum, comitis non cura legendi,
  Non aptæ profugo veſtis, opiſve fuit.
Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
  Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipſe removit
  Et tandem ſenſus convaluere mei;
Alloquor extremum mœſtos abiturus amicos,
  Qui modo de multis unus & alter erant.
Uxor amans flentem flens acrius ipſa tenebat,
  Imbre per indignas uſque cadente genas.

Nata

Nata procul Libycis aberat diversa sub oris:
  Nec poterat fati certior esse mei.
Quocunque adspiceres, luctus gemitusque sonabant;
  Formaque non taciti funeris intus erat.
Fœmina, virque meo, pueri quoque funere mœrent?
  Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grandibus uti;
  Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.
Jamque quiescebant voces hominumque canumque;
  Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, & ab hac Capitolia cernens,
  Quæ nostro frustra juncta fuere Lari:
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
  Jamque oculis numquam templa videnda meis,
Dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini;
  Este salutati tempus in omne mihi.
Et quanquam sero clypeum post vulnera sumo:
  Attamen hanc odiis exonerate fugam:
Cœlestique viro, quis me deceperit error,
  Dicite pro culpa ne scelus esse putet.
Ut, quod vos scitis, pœnæ quoque sentiat auctor;
  Placato possum non miser esse Deo.
Hac prece adoravi Superos ego: pluribus uxor;
  Singultu medios præpediente sonos.
Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis
  Contigit extinctos ore tremente focos:
Multaque in adversos effudit verba Penates;
  Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat,
  Versique ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore;
  Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.
Ah quoties aliquo dixi properante: quid urges?
  Vel quo festines ire, vel unde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere
  Horam, propositæ quæ foret apta viæ.
Ter limen tetigi; ter sum revocatus: & ipse
  Indulgens animo pes mihi tardus erat.

Sæpe

Sæpe, Vale dicto, rursus sum multa locutus;
Et quasi discedens oscula summa dedi.
Sæpe eadem mandata dedi: meque ipse fefelli,
Respiciens oculis pignora cara meis.
Denique, Quid propero, Scythia est, quo mittimur, inquam:
Roma relinquenda est: utraque justa mora est.
Uxor in æternum vivo mihi viva negatur:
Et domus, & fidæ dulcia membra domus.
Quosque ego fraterno dilexi more sodales,
(O mihi Thesea pectora juncta fide!)
Dum licet amplectar: nunquam fortasse licebit
Amplius in lucro, quæ datur hora, mihi est.
Nec mora; sermonis verba imperfecta relinquo,
Complectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor, & flemus; cœlo nitidissimus alto
Stella gravis nobis Lucifer ortus erat.
Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam:
Et pars abrumpi corpore visa suo est.
Sic Priamus doluit, tunc cum in contraria versus
Ultores habuit proditionis equos.
Tum vero exoritur clamor, gemitusque meorum;
Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.
Tum vero conjux humeris abeuntis inhærens
Miscuit hæc lacrymis tristia dicta suis:
Non potes avelli; simul ah, simul ibimus, inquit!
Te sequar, & conjux exulis exul ero.
Et mihi facta via est: & me capit ultima tellus,
Accedam profugæ sarcina parva rati.
Te jubet e patria discedere Cæsaris ira;
Me pietas, pietas hæc mihi Cæsar erit.
Talia tentabat: sic & tentaverat ante;
Vixque dedit victas utilitate manus.
Egredior (sive illud erat sine funere ferri).
Squallidus immissis hirta per ora comis.
Illa dolore mei tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuisse domo.
Utque resurrexit, fœdatis pulvere turpi

Cri-

Crinibus, & gelida membra levavit humo:
Se modo, desertos modo complorasse penates:
Nomen & erepti sæpe vocasse viri:
Nec gemuisse minus, quam si natæve, meumve
Vidisset structos corpus habere rogos:
Et voluisse mori; moriendo ponere sensus:
Respectuque tamen non posuisse mei.
Vivat, & absentem, quoniam sic fata tulerunt;
Vivat, & auxilio sublevet usque suo.
Tingitur Oceano custos Erymanthidos Ursæ,
Æquoreasque suo sidere turbat aquas:
Nos tamen Ionium non nostra findimus æquor
Sponte; sed audaces cogimur esse metu.
Me miserum, quantis increscunt æquora ventis;
Erutaque ex imis fervet arena vadis!
Monte nec inferior proræ, puppique recurvæ
Insilit, & pictos verberat unda Deos.
Pinea texta sonant; pulsi stridore rudentes:
Aggemit & nostris ipsa carina malis.
Navita confessus gelido pallore timorem
Jam sequitur victam, non regit arte, ratem,
Utque parum validus non proficientia victor
Cervicis rigidæ frena remittit equo:
Sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dedisse rati.
Quod nisi mutatas emiserit Æolus auras;
In loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul, Illyricis læva de parte relictis;
Interdicta mihi cernitur Italia.
Desinat in vetitas, quæso, contendere terras,
Et mecum magno pareat aura Deo.
Dum loquor, & cupio pariter timeoque revelli,
Increpuit quantis viribus unda latus!
Parcite, cærulei, vos parcite, Numina ponti;
Infestumque mihi sit satis esse Jovem.
Vos animam sævæ fessam subducite morti.
Si modo, qui periit, non periisse potest.

2. DE

2. DE AMICI PERFIDIA.

In caput alta suum labentur ab æquore retro
  Flumina, conversis Solque recurret equis.
Terra feret stellas: cœlum findetur aratro:
  Unda dabit flammas: & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
  Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam:
  Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
  Laturum misero quem mihi rebar opem.
Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri?
  Afflictumne fuit tantus adire timor?
Ut neque respiceres, nec solarere jacentem;
  Dure? nec exequias prosequerere meas?
Illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen
  Re tibi pro vili, sub pedibusque jacet?
Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
  Visere, & alloquii parte levare tui?
Inque meos si non lacrymam dimittere casus,
  Pauca tamen ficto verba dolore queri?
Idque, quod ignoti faciunt, valedicere saltem,
  Et vocem populi publicaque ora sequi?
Denique lugubres vultus, nunquamque videndos
  Cernere supremo, dum licuitque, die?
Dicendum semel toto non amplius ævo
  Accipere, & parili reddere voce, Vale?
At fecere alii nullo mihi fœdere juncti,
  Et lacrymas animi signa dedere sui.
Quid nisi convictu, causisque valentibus essem
  Temporis & longi vinctus amore tibi?
Quid nisi tot lusus, & tot mea seria nosses,
  Tot nossem lusus, seriaque ipse tua?
Quid si dumtaxat Romæ mihi cognitus esses,
  Adscitus toties in genus omne loci?
Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?

Cum-

Cunctane Lethæis mersa feruntur aquis?
Non ego te placida genitum reor urbe Quirini,
Urbe, meo quæ jam non adeunda pede est.
Sed scopulis, ponti quos hæc habet ora sinistri;
Inque feris Scythiæ, Sarmaticisque jugis:
Et tua sunt silicis circum præcordia venæ;
Et rigidum ferri semina pectus habet.
Quæque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
At mala nostra minus, quam nunc, aliena putasses;
Duritiæque mihi non agerere reus.
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima suis;
Effice, peccati ne sim memor hujus: & illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

3. DE INFIDO AMICORUM VULGO.

Detur inoffensæ metam tibi tangere vitæ;
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
Atque utinam pro te possint mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigere Deos!
Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Adspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ;
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes radios per Solis euntibus umbra,
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit;
Mobile sic sequitur Fortunæ lumina vulgus:
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.
Hæc precor ut semper possint tibi falsa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
Dum stetimus, turbæ quantum satis esset, habebat
Nota quidem, sed non ambitiosa domus.
At simul impulsa est, omnes timuere ruinam:
Cautaque communi terga dedere fugæ.

Sæva

Sæva nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quæque solent.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Cæsar in hoste probat.
Nec solet irasci (neque enim moderatior alter),
Cum quis in adversis, si quid amavit, amat.
De comite Argolici postquam cognovit Orestæ;
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.
Quæ fuit Actoridæ cum magno semper Achille,
Laudari solita est Hectoris ore fides.
Quod pius ad manes Theseus comes iflet amico,
Tartareum dicunt indoluisse Deum.
Euryali Nisique fide tibi, Turne, relata,
Credibile est lacrymis immaduisse genas.
Est etiam miseris pietas; & in hoste probatur.
Hei mihi, quam paucos hæc mea dicta movent?
Hic status, hæc rerum nunc est fortuna mearum,
Debebat lacrymis nullus adesse modus.

4. FATUM SUUM CONQUERITUR.

Ergo erat in fatis Scythiam quoq; visere nostris,
Quæque Lycaonio terra sub axe jacet?
Nec vos, Pierides, nec stirps Latoja vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem?
Nec mihi quod lusi vero sine crimine, prodest;
Quodque magis vita Musa jocosa mea est?
Plurima sed pelago terraque pericula passum
Ustus ab assiduo frigore Pontus habet.
Quique fugax rerum, securaque in otia natus,
Mollis & impatiens ante laboris eram:
Ultima nunc patior, nec me mare portubus orbum
Perdere, diversæ nec potuere viæ.
Sufficitque malis animus, nam corpus ab illo
Accepit vires, vixque ferenda tulit.
Dum tamen & terris dubius jactabar & undis,
Fallebat curas, ægraque corda labor.
Ut via finita est, & opus requievit eundi,

Et

Et pœnæ tellus est mihi tacta meæ:
Nil nisi flere libet, nec nostro parcior imber
Lumine, de verna quam nive manat aqua.
Roma domusque subit, desideriumque locorum,
Quidquid & amissa restat in Urbe mei.
Heu mihi, quod nostri toties pulsata sepulchri
Ianua, sed nullo tempore aperta fuit.
Cur ego tot gladios fugi, totiesque minata
Obruit infelix nulla procella caput?
Dii, quos experior nimium constanter iniquos,
Participes iræ quos Deus unus habet,
Exstimulate, precor, cessantia fata, meique
Interitus clausas esse vetate fores.

5. DE EXILII SUI HORRORE.

Si quis adhuc istic meminit Nasonis ademti;
Et superest sine me nomen in Urbe meum;
Suppositum stellis nunquam tangentibus æquor
Me sciat in media vivere barbarie.
Sauromatæ cingunt fera gens, Bessique, Getæque:
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Istro.
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At cum tristis hyems squallentia protulit ora,
Terraque marmoreo candida facta gelu est:
Dum patet & Boreas, & nix injecta sub Arcto;
Tum liquet has gentes axe tremente premi.
Nix jacet, & jactam nec Sol, pluviæve resolvunt:
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit:
Et solet in multis bima manere locis.
Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
Æquet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus, & sutis arcent male frigora braccis;
Oraque de toto corpore sola patent.
Sæpe sonant moti glacie pendete capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu;

Udaque consistunt formam servantia testæ
 Vina; nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
 Deque lacu fragiles effodiantur aquæ?
Ipse, papyrifero qui non angustior amne
 Miscetur vasto multa per ora freto,
Cæruleos ventis latices durantibus Ister
 Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: & undas
 Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque novos pontes subter labentibus undis
 Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
Vix equidem credar: sed cum sint præmia falsi
 Nulla, ratam testis debet habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
 Lubricaque immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est, durum calcavimus æquor:
 Undaque non udo sub pede summa fuit.
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset;
 Non foret angustæ mors tua crimen aquæ.
Tum neque se pandi possunt delphines in auras
 Tollere: conantes dura coercet hyems:
Et quamvis Boreas jactatis insonet alis,
 Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.
Inclusæque gelu stabunt, ut marmore, puppes:
 Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces hærere ligatos:
 Et pars ex illis tum quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreæ vis sæva marinas,
 Sive redundatas flumine cogit aquas;
Protinus, æquato siccis Aquilonibus Istro,
 Invenitur celeri barbarus hostis equo:
Hostis equo pollens, longeque volante sagitta
 Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii; nullisque tuentibus agros,
 Incustoditæ diripiuntur opes.
Ruris opes parvæ pecus, & stridentia plaustra;
 Et quas divitias incola pauper habet.

Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
  Respiciens frustra rura Laremque suum.
Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:
  Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quæ nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt:
  Et cremat insontes hostica flamma casas.
Tum quoque, cum pax est, trepidant formidine belli,
  Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hostem.
  Cessat iners rigido terra relicta situ.
Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra;
  Nec cumulant altos fervida musta lacus.
Poma negat regio: nec haberet Acontius, in quo
  Scriberet hic dominæ verba legenda suæ.
Aspicere est nudos sine fronde, sine arbore campos.
  Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo, tam late pateat cum maximus orbis,
  Hæc est in pœnam terra reperta meam!

6. DE SENECTUTE SUA EXILIO DAMNATA.

JAm mea cygneas imitantur tempora plumas,
  Inficit & nigras alba senecta comas:
Jam subeunt anni fragiles, & inertior ætas:
  Jamque parum firmo me mihi ferre grave est.
Nunc erat, ut posito deberem fine laborum
  Vivere, me nullo sollicitante metu.
Quæque meæ semper placuerunt otia menti.
  Carpere; & in studiis molliter esse meis:
Et parvam celebrare domum, veteresque Penates,
  Et quæ nunc domino rura paterna carent:
Inque sinu dominæ, carisque nepotibus, inque
  Securus patria consenuisse mea.
Hæc mea sic quondam peragi speraverat ætas,
  Hos ego si annos ponere dignus eram.
Non ita Dis visum, qui me terraque marique
  Actum Sarmaticis exposuere locis.
In cava ducuntur quassæ navalia puppes,

Ne temere in mediis dissoluantur aquis,
Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
Miles, ut emeritis non est satis utilis annis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.
Sic igitur, tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari jam rude tempus erat.
Tempus erat, nec me peregrinum ducere cœlum;
Nec siccam Getico fonte levare sitim:
Sed modo, quos habui, vacuum secedere in hortos:
Nunc hominum visu rursus, & Urbe frui.
Sic animo quondam non divinante futura
Optabam placide vivere posse senex.
Fata repugnarunt: quæ, cum mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posteriora gravant.
Jamque, decem lustris omni sine labe peractis
Parte premor vitæ deteriore meæ.
Nec procul a metis, quas pene tenere videbar,
Curriculo gravis est facta ruina meo.
Ergo illum demens in me sævire coegi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet?
Ipsaque delictis victa est clementia nostris:
Nec tamen errori vita negata meo?
Vita procul patria peragenda sub axe Boreo,
Qua maris Euxini terra sinistra jacet.
Hoc mihi si Delphi, Dodonaque diceret ipsa;
Esse viderentur vanus uterque locus.
Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne Jovis,
Nil ita sublime est, supraque pericula tendit.
Non sit ut inferius, suppositumque Deo.
Nam quanquam vitio pars est contracta malorum;
Plus tamen exitii numinis ira dedit.
At vos admoniti nostris quoque casibus este,
Æquantem Superos emeruisse virum.

DE

7. DE AMICI INCONSTANTIA.

Tu quoque noſtrarum quondam fiducia rerum,
  Qui mihi confugium, qui mihi portus eras;
Tu quoque ſuſcepti curam dimittis amici,
  Officiique pium tam cito ponis onus?
Sarcina ſum, fateor, quam ſi tu tempore durò
  Depoſiturus eras, non ſubeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis?
  Ne fuge, neve tua ſit minor arte fides.
Nunquid Achilleos inter fera prælia fidi
  Deſeruit levitas Automedontis equos?
Quem ſemel excepit, nunquid Podalirius ægro
  Promiſſam medicæ non tulit artis opem?
Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.
  Quæ patuit, dextræ firma ſit ara meæ.
Nil, niſi me ſolum, primo tutatus es, at nunc
  Me pariter ſerva, judiciumque tuum.
Si modo non aliqua eſt in me nova culpa, tuamque
  Mutarunt ſubito crimina noſtra fidem.
Spiritus hic, Scythica quem non bene ducimus aura;
  Quod cupio, membris exeat ante meis,
Quam tua delicto ſtringantur pectora noſtro,
  Et videar merito vilior eſſe tibi.
Non adeo toti fatisurgemur iniquis,
  Ut mea ſit longis mens quoque mota malis.
Finge tamen motam, quoties Agamemnone natum
  Dixiſſe in Pyladen verba proterva putas?
Nec procul a vero eſt, quod vel pulſarit amicum,
  Manſit in officiis non minus ille ſuis.
Hoc eſt cum miſeris ſolum commune beatis,
  Ambobus tribui quod ſolet obſequium.
Ceditur & cæcis, & quos prætexta verendos,
  Virgaque cum verbis imperioſa facit.
Si mihi non parcis; fortunæ parcere debes
  Non habet in nobis ullius ira locum.
Elige noſtrorum minimum de parte laborum:

Isto, quo reris, grandius illud erit.
Quam multa madidæ celebrantur arundine fossæ;
Florida quam multas Hybla tuetur apes,
Quam multæ gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicæ grana reperta solent,
Tam me circumstant densorum turba malorum.
Crede mihi, vero est nostra querela minor.
His qui contentus non est, in litus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.
Intempestivos igitur compesce timores;
Vela nec in medio desere nostra mari.

8. DE EXILII SUI ACERBITATE.

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister:
Facta est Euxini dura ter unda maris.
At mihi jam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Grajo Troja sub hoste fuit.
Stare putes, adeo procedunt tempora tarde:
Et peragit lentis passibus annus iter.
Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert:
Efficit angustos nec mihi bruma dies:
Scilicet in nobis rerum natura novata est;
Cumque meis curis omnia longa facit.
Num peragunt solitos communia tempora motus,
Suntque magis vitæ tempora dura meæ,
Quem tenet Euxini mendax cognomine litus,
Et Scythici vere terra sinistra freti?
Innumeræ circa gentes fera bella minantur;
Quæ sibi non rapto vivere turpe putant.
Nil extra tutum est; tumulus defenditur ægre
Mœnibus exiguis, ingenioque loci.
Cum minime credas, ut aves, densissimus hostis
Advolat, & prædam vix bene visus agit.
Sæpe intra muros clausis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.
Est igitur rarus, qui rus colere audeat: isque
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.

Sub

Sub galea pastor junctis pice cantat avenis ;
  Proque lupo pavidæ bella verentur oves.
Vix ope castelli defendimur: & tamen intus
  Mista facit Grajis barbara turba metum.
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
  Barbarus, & tecti plus quoque parte tenet.
Quos ut non timeas, possis odisse videndo,
  Pellibus & longa tempora tecta coma.
Hos quoque, qui geniti Graja creduntur ab urbe,
  Pro patrio cultu Persica bracca tegit.
Exercent illi sociæ commercia linguæ.
  Per gestum res est significanda mihi.
Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.
  Et rident stolidi verba Latina Getæ.
Meque palam de me tuto male sæpe loquuntur :
  Forsitan objiciunt exiliumque mihi.
Utque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis
  Abnuerim quoties annuerimque, putant.
Adde, quod injustum rigido jus dicitur ense:
  Dantur & in medio vulnera sæpe foro.
O duram Lachesin, quæ tam grave sidus habenti
  Fila dedit vitæ non breviora meæ.
Quod patriæ vultu, vestroque caremus, amici,
  Quodque hic in Scythicis finibus esse queror.
Utraque pœna gravis, merui tamen Urbe carere,
  Non merui tali forsitan esse loco.
Quid loquor ah demens? ipsam quoq; perdere vitam
  Cæsaris offenso numine dignus eram.

EX

EX LIBRO I. DE PONTO.

1. AD RUFINUM.

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem,
  Qui miser est, ulli si suus esse potest.
Reddita confusæ nuper solatia menti
  Auxilium nostris, spemque tulere malis.
Utque Machaoniis Pæantius artibus heros
  Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens, & acerbo saucius ictu,
  Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
  Ut solet infuso vena redire mero.
Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
  Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
Ut multum nostræ demas de gurgite curæ;
  Non minus exhausto, quod superabit, erit.
Tempore ducetur longo fortasse cicatrix.
  Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non est in medico semper, relevetur ut æger.
  Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis, ut e molli sanguis pulmone remissus
  Ad Stygias certo limine ducat aquas?
Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas;
  Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
  Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla medicabilis arte;
  Aut ut sit, longa est extenuanda mora.
Cum bene firmarunt animum præcepta jacentem
  Sumtaque sunt nobis pectoris arma tui;
Rursus amor patriæ, ratione valentior omni,
  Quod tua texuerunt scripta, retexit opus.
Sive pium vis hoc, sive hoc muliebre vocari;
  Confiteor misero molle cor esse mihi.
Non dubia est Ithaci prudentia; sed tamen optat
Fu-

Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine captos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Schtico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene sit clausæ cavea Pandione natæ;
Nititur in silvas illa redire suas.
Adsuetos tauri saltus, adsueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exilii morsus e pectore nostro
Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
Talibus ut levius sit caruisse malum.
At, puto, qua fueram genitus, tellure carenti,
In tamen humano contigit esse loco.
Orbis in extremi jaceo desertus arenis:
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
Non ager hic pomum, non dulces educat uvas:
Non salices ripa, robora monte virent.
Neve fretum terra laudes magis: æquora semper
Ventorum rabie, solibus orba tument.
Quocumque adspicias, campi cultore carentes,
Vastaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hostis adest dextra, lævaque a parte timendus;
Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sarissas,
Altera Sarmatica spicula missa manu.
I nunc, & veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere, refer.
Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus & hostica tellus;
Pene minus nullo Smyrna petenda loco.
Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus;
Legit enim sedes, Attica terra, tuas.
Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primam sensit in urbe fugam.
Pulsus Aristides patria Lacedæmona fugit:

Inter quas dubium, quæ prior esset, erat.
Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit;
Thessaliamque adit, hospes Achillis, humum.
Exul ab Hæmonia Pirenida cessit ad undam,
Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.
Liquit Agenorides Sidonia mænia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco.
Venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus;
Et Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam veteres Romanæ gentis; apud quos
Exulibus tellus ultima Tybur erat?
Persequar ut cunctos; nulli datus omnibus ævis
Tam procul a patria est, horridiorve locus.
Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.
Nec tamen inficior, si possint nostra coire
Vulnera; præceptis posse coire tuis.
Sed vereor, ne me frustra servare labores;
Neu juvet admota perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit major prudentia nobis;
Sed sim, quam medico, notior ipse mihi.
Ut tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me pervenit, consuliturque boni.

2. AD MAXIMUM.

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat.
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exilii ne videare mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ?
Et mihi, si quis erat, ducendi carminis usus,
Deficit; estque minor factus inerte situ.
Hęc quoq;,quę legitis (si quod nihi, Maxime, credis)
Scribimus invita, vixque coacta, manu.
Non libet in tales animum contendere curas;
Nec venit ad duros Musa vocata Getas.

Ut

Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum.
 Sed non fit fato mollior ille meo.
Cum relego, scripsisse pudet: quia plurima cerno,
 Me quoque, qui feci, judice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic quam scribere major,
 Mensque pati durum sustinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
 Et sub judicium singula verba vocem?
Torquet enim Fortuna parum, nisi Nilus in Hebrum
 Confluat? & frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
 Subducant oneri colla perusta boves.
At, puto, fructus adest, justissima caussa laborum,
 Et sata cum multo fœnore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum
 Profuit (atque utinam non nocuisset!) opus.
Cur igitur scribam miraris? miror & ipse:
 Et mecum quæro sæpe, quid inde feram.
An populus vere sanos negat esse poetas,
 Sumque fides hujus maxima vocis ego?
Qui sterili toties cum sim deceptus ab arvo,
 Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum;
 Tempus & adsueta ponere in arte juvat.
Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem
 Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis:
 Mox ducit remos, qua modo navit aqua:
Sic ego constanter studium non utile carpo;
 Et repeto, nollem quas coluisse Deas.
Quid potius faciam? non sum qui segnia ducam
 Otia, mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat in lucem nimio marcescere vino:
 Nec tenet incertas alea blanda manus.
Cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
 Quo ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrii contendere discam
 Sarmaticos arcus; & trahar arte loci?

Hoc quoque me studium prohibent adsumere vires:
Mensque magis gracili corpore nostra valet.
Cum bene quæsieris, quid agam; magis utile nil est
Artibus his, quæ nil utilitatis habent.
Consequor ex illis casus oblivia nostri.
Hanc satis est messem si mea reddit humus.
Gloria vos acuat: vos ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.
Quod venit ex facili, satis est componere nobis:
Et nimis intenti caussa laboris adest.
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An verear, ne non approbet illa Getes?
Forsitan audacter faciam, sed glorior, Istrum
Ingenio nullum majus habere meo.
Hoc (ubi vivendum) satis est si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poeta Getas.
Quo mihi diversum fama contendere in orbem?
Quem Fortuna dedit Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro;
Sic merui; magni sic voluere Dei.
Nec reor hinc istuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.
Dividimur cœlo; quæque est procul urbe Quirini,
Adspicit hirsutos comminus Ursa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas vix credere possim
Indicium studii transiluisse mei.
Finge legi; quodque est mirabile, finge placere:
Auctorem certe res juvet ista nihil.
Quo tibi, si calida positus laudere Syene;
Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua;
Altius ire libet? si te distantia longe
Pleiadum laudent signa, quid inde feras?
Sed neque pervenio scriptis mediocribus illuc;
Famaque cum domino fugit ab Urbe suo.
Vosque, quibus perii, tunc cum mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

EX

EX FASTIS.

1. *Kalendæ Januarii.*

Prospera lux oritur: linguis animisque favete:
  Nunc dicenda bona sunt bona verba die,
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
  Jurgia: differ opus livida turba tuum.
Cernis odoratis ut luceat ignibus æther,
  Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum:
  Et tremulum summa spargit in æde jubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces:
  Et populus festo concolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt fasces: nova purpura fulget.
  Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci:
  Quos aluit campis herba Falisca suis.
Jupiter, arce sua cum totum spectet in orbem,
  Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve festa dies, meliorque revertere semper.
  A populo rerum digna potente coli.

2. *Janus prisca tempora commemorat, & cum præsentibus comparat.*

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
  Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus habendi,
  Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
  Dum Populus pauper, dum nova Roma fuit:
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum;
  Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Jupiter angusta vix motus stabat in æde:
  Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis:

Pa-

Pascebatque suas ipse senator oves.
Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem;
Et fœnum capiti supposuisse, fuit.
Jura dabat populis posito modo prætor aratro
Et levis argenti laminæ crimen erat.
At postquam Fortuna loci caput extulit hujus;
Et tetigit summo vertice Roma deos:
Creverunt & opes & opum furiosa cupido:
Et, cum posideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumpta requirere certant:
Atque ipsa vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias pauper ubique jacet.

3. *De Veterum Hominum vivendi ratione.*

Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades: & luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis nullos agitata per usus.
Artis adhuc expers, & rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqua:
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus:
Nulla sub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat usus equi: se quisque ferebat:
Ibat ovis lana corpus amicta sua.
Sub Jove durabant: & corpora nuda gerebant
Docta graves imbres & tolerare notos.

4. *De Sacrificiis.*

Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur.
Hostibus a domitis hostia nomen habet.
Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta

Acta per aequoreas hospita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miserat India, costum:
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis:
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis,
Qui posset violas addere; dives erat.
Hic, qui nunc aperit precussi viscera tauri;
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidae gavisa est sanguine procae
Ulta suas merita caede nocentis opes.
Nam sata vere novo teneris lactentia succis
Eruta setigerae comperit ore suis,
Sus dederat poenas: exemplo territus hujus
Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem
Talia non tacito verba dolore dedit:
Rode caper vitem; tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur: noxae tibi deditus hostis
Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.
Culpa sui nocuit, nocuit quoque culpa capellae:
Quid bos? quid placidae commeruistis oves?
Flebat Aristaeus, quod apes cum stirpe necatas,
Viderat inceptos destituisse favos.
Caerula quem genitrix aegre solata dolentem,
Addidit haec dictis ultima verba suis:
Siste puer lacrymas: Proteus tua damna levabit:
Quoque modo repares quae periere, dabit:
Decipiat ne te versis tamen ille figuris;
Impediant geminas vincula firma manus.
Pervenit ad vatem juvenis: resolutaque somno
Alligat aequorei brachia capta senis.
Ille suam faciem transformat, & alterat arte,
Mox domitus vinclis in sua membra redit.
Oraque caerulea tollens rorantia barba,
Qua, dixit, repares arte requiris apes?
Obrue mactati corpus tellure juvenci.

Quod

Quod petis a nobis, obrutus ille dabit.
Jussa facit pastor: fervente, examina putri
De bove: mille animas una necata dedit.
Pavit ovis pratum: verbenas improba carpsit;
Quas pia Dis turis ferre solebat anus
Quid tuti superest? animam cum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolæque boves?
Placat equo Persis raddiis Hyperiona cinctum;
Ne detur celeri victima tarda deo.
Quæ semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque, pro nulla virgine, cerva cadit.
Exta canum vidi Triviæ libare Sabæos,
Et quicunque tuas accolit, Hæme, nives.

HEROIDUM.

EPISTOLA I.

PENELOPE ULYSSI.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse:
Nil mihi rescribas; attamen ipse veni.
Troja jacet certe Danais invisa puellis:
Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.
O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis
Non ego deserto jacuissem frigida lecto:
Nec quererer tardos ire relicta dies:
Nec mihi, quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est soliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus nostri causa timoris erat.
Sive Menœtiadem falsis cecidisse sub armis:
Flebam successu posse carere dolos

San-

Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam:
  Tlepolemi læto cura novata mea est.
Denique quisquis erat castris jugulatus Achivis,
  Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto deus æquus amori:
  Versa est in cineres sospite Troja viro,
Argolici rediere duces: altaria fumant:
  Ponitur ad patrios barbara præda deos.
Grata ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis;
  Illi victa suis Troica fata canunt:
Mirantur justique senes, trepidæque puellæ:
  Narrantis conjux pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita monstrat fata prælia mensa,
  Pingit & exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois: hic est Sigeia tellus:
  Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic Æacides, illic tendebat Ulysses:
  Hic lacer admisso terruit Hector equos.
Omnia namque tuo senior te quærere misso
  Retulerat nato Nestor: at ille mihi
Rettulit, & ferro Rhesumque, Dolonaque cæsos:
  Utque sit hic somno proditus: ille dolo.
Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
  Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul mactare viros adiutus ab uno,
  At bene cautus eras, & memor ante mei.
Usque metu micuere sinus: dum victor amicum
  Dictus es Ismariis isse per agmen equis,
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
  Ilios: & murus, quod fuit ante, solum?
Si maneo qualis Troja durante manebam:
  Virque mihi dempto fine carendus abest.
Diruta sunt aliis: soli mihi Pergama restant:
  Incola captivo quæ bove victor arat.
Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
  Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
  Ossa: ruinosas occulit herba domos.

Vi-

Victor abes: nec scire mihi, quæ caussa morandi,
 Aut in quo lateas ferreus orbe, licet
Quisquis ad hæc vertit peregrina litora puppim :
 Ille mihi de te multa rogatus, abit
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam:
 Traditur huic digitis charta notata meis:
Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva
 Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus & Sparten: Sparte quoque nescia veri.
 Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
Utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi:
 Irascor votis heu levis ipsa meis.
Scirem ubi pugnares: & tantum bella timerem:
 Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens:
 Et patet in curas area lata meas.
Quæcunque æquor habet, quæcunq; pericula tellus:
 Tam longæ causas suspicor esse moræ.
Hæc ego dum stulte meditor (quæ vestra libido est)
 Esse peregrino captus amore potes.
Forsitan & narres quam sit tibi rustica conjux:
 Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.
Fallar: & hoc crimen tenues vanescat in auras:
 Neve revertendi liber abesse velis.
Me pater Icarius viduo discedere lecto
 Cogit: & immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet: tua sim, tua dicar oportet.
 Penelope conjux semper Ulyssis ero.
Ille tamen pietate mea, precibusque pudicis
 Frangitur: & vires temperat ipse suas.
Dulicchii, Samiique, & quos tulit alta Zacynthos,
 Turba ruunt in me luxuriosa proci:
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula:
 Viscera nostra, tuæ dilaniantur opes.
Quid tibi Pisandrum, Polybumq;, Medontaq; dirum,
 Eurimachique avidas, Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
 Ipse tuo partis sanguine rebus alis.

Irus,

Irus, egens pecorisque Melantius auctor edendi,
 Ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero: sine viribus uxor,
 Laertesque senex, Telemachusque puer.
Ille per insidias pene est mihi nuper ademtus:
 Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
Dii precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
 Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosque bovum, longævaque nutrix,
 Tertius, immundæ cura fidelis haræ.
Sed neque Laertes, ut qui sit inutilis annis:
 Hostibus in mediis regna tenere potest.
Telemacho veniet, vivat modo, fortior ætas:
 Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis:
 Tu citius venias portus, & aura tuis.
Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
 In patrias artes erudiendus erat.
Respice Laerten: ut jam sua lumina condas,
 Extremum fati sustinet ille diem.
Certe ego, quæ fueram te discedente puella,
 Protinus ut redeas facta videbor anus.

EX METAMORPHOSIBUS.

I. QUATUOR MUNDI ÆTATES.

Aurea prima Sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant: nec vincla minacia collo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui: sed erant sine judice tuti,
Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, præter sua, littora norant:
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat: sine militis usu
 Mollia

Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Etquæ deciderant patula Jovis arbore glandes.
Ver erat æternum; placidique tepentibus auris,
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis jam flumina nectaris ibant:
Flavaque de viridi stilabant ilice mella.
Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Jove mundus erat, subiitque argentea proles.
Auro deterior, fulvo pretiosior ære:
Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes, æstusque, & inæquales autumnos,
Et breve ver spatiis exegit quatuor annum.
Tum primum siccis aer fervoribus ustus
Canduit, & ventis glacies astricta pependit.
Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt;
Et densi frutices, & junctæ cortice virgæ.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.
Tertia post illam successit ahenea proles
Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen, de duro est ultima ferro.
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita, quæque diu steterant in montibus altis
Fluctibus ignotis insultavere carinæ,
Communemque prius, ceu lumina Solis & auræ,
Cautus humum longo signavit limite mensor,
Nec tantum segetes, alimentaque debita dives
Posce-

Poscebatur humus, sed itum est in viscera terræ,
Quasque recondiderat, Stygiisq; admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Nec socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas & virgo cæde madentes
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

2. MINERVA INVIDIÆ DOMUM INGREDITUR.

Protinus Invidiæ nigro squallentia tabo
Tecta petit. Domus est imis in vallibus hujus
Abdita, Sole carens, non ulli pervia vento;
Tristis, & ignavi plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet semper; caligine semper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda Virago,
Constitit ante domum (neque enim succedere tectis
Fas habet), & postes extrema cuspide pulsat.
Concussæ patuere fores: videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
Invidiam: visaque oculos avertit, at illa
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Utque Deam vidit, formamque, armisque decoram,
Ingemuit, vultumque Deæ ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies: livente rubigne dentes.
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi movere dolores:
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur una;

Sup-

Suppliciumq; suum est: quamvis tamen oderat illas
Talibus affata est breviter Tritonia dictis:
Infice tabe tua natarum Cecropis unam:
Sic opus est: Aglauros ea est. Haud plura locuta
Fugit, & impressa tellurem repulit hasta.
Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parva dedit, successorumque Minervæ
Indoluit: baculumque capit, quem spiena totum
Vincula cingebant: adopertaque nubibus atris
Quacumque ingreditur, florentia proterit arva,
Exuritque herbas, & summa papavera carpit:
Afflatuque suo populos, urbesque domosque
Polluit: & tandem Tretonida conspicit arcem
Ingeniisque opibusque, & festa pace nitentem:
Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.

FABULA DÆDALI, ET ICARI.

Dædalus interea Creten, longumque perosus
Exilium, tactusque loci natalis amore,
Clausus erat pelago: Terras licet, inquit & undas
Obstruat, at cœlum certe patet: ibimus illac.
Omnia possideat, non possidet aera Minos.
Dixit: & ignotas animum dimittit in artes,
Naturamque novat: nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breviore sequente,
Ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tunc lino medias, & ceris alligat imas,
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat, & ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima cœpto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.
In-

Instruit & natum; medioque ut limite curras.
Icare, ait, moneo, ne si demissior ibis,
Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola; nec te spectare Booten,
Aut Helicen jubeo, strictumque Orionis ensem:
Me duce carpe viam. Pariter præcepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus, monitusque genæ maduere seniles;
Et patriæ tremuere manus: dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo: pennisque levatus
Ante volat, comitique timet, velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aera nido:
Hortaturque sequi; damnosasque erudit artes:
Et movet ipse suas, & nati respicit alas:
Hos aliquis tremula dum captat arundine pisces;
Aut pastor baculo, stivæque innixus arator
Vidit, & obstupuit, quique æthera carpere possent,
Credidit esse Deos. Et jam Junonia læva
Parte Samos fuerat, Delosque, Parosque relictæ;
Dextra Lebyntos erat, fœcundaque melle Calymna.
Cum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, cœlique cupidine tactus
Altius egit iter. Rapidi vicinia Solis,
Mollit odoratas pennarum vincula ceras.
Tepuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas concipit auras:
Oraque cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram
Icare, dicebat; pennas conspexit in undis,
Devovitque suas artes, corpusque sepulchro
Condidit, & tellus a nomine dicta sepulti est.

FAMÆ DOMUS.

Orbe locus medio eſt inter terraſque, fretumque,
Cœleſteſque plagas, triplicis confinia mundi,
Unde quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures,
Fama tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce,
Innumeroſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis.
Nocte dieque patet, tota eſt ex ære ſonanti:
Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte.
Nec tamen eſt clamor, ſed parvæ murmura vocis:
Qualia de pelagi (ſi quis procul audiat) undis
Eſſe ſolent, qualemve ſonum, cum Juppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet, veniunt leve vulgus, euntque:
Miſtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum, confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures.
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Lætitia eſt, conſternatique Timores,
Seditioque recens, dubioque auctore Suſurri.
Ipſa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur
E tellure videt, totumque inquirit in orbem.

AULI PERSII
FLACCI.

SATYRA.

AD PLOTIUM MACRINUM:

Eos insectatur, qui stulta, aut iniqua a Diis petunt.

HUnc, Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere Divis.
At bona pars Procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promtum est murmurque, humilesque susurros
Tolere de templis, & apperto vivere voto.
Mens bona fama, fides; hæc clare, & ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat: o si
Ebullet patrui præclarum funus, & o si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule, pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque est scabiosus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor.
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, respende, minimum est, quod scire laboro.

De Jove quid sentis? est ne ut præponere cures
Hunc cuiquam? cui nam? vis Stajo? an scilicet hæres,
Quis potior, judex puerilve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Stajo, pro Jupiter, o bone, clamet,
Jupiter. At sese non clamet Jupiter ipse?
Ignovisse putas: quia, cum tonat ocyus ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque, domusque?
An, quia non fibris ovium, Ergenaque jubente
Triste jaces lucis, evitandumque bidental;
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas pulmone, & lactibus unctis?
Ecce avia, aut metuens Divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat urentes oculos inhibere perita:
Tum manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina: puellæ
Hunc rapiant: quiquid calcaverit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota: negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ:
Esto age: sed grandes patinæ, tucetaque crassa
Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas: cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: da fortunare Penateis;
Da pecus, & gregibus fetum. Quo, pessime pacto,
Tot tibi cum in flammas junicum omenta liquescant?
Attamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jam jam: donec deceptus, & exspes
Nequidquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit auro sacras quod ovato
Per-

Perducis facies: nam Fratres inter ahenos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Vestalesque urnas, & Thuscum fictile mutat.
O Curvæ in terris animæ & cœlestium inanes!
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallæ lippa propago:
Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

INTERPRETATIO.

Macrine, signa albo lapillo hunc diem (natalem nempe), qui faustus novos tibi annos apponit. Funde merum Genio. Tu non is es, qui precibus, muneribusque emere a Diis contendas res nefarias, & iniquas, quæ ab iis nonnisi seorsum ductis (secreto scilicet) peti possunt. At bona pars Procerum tacite, & clam sacrificabit (acerra *est arca, qua thus ponebatur*). *Non omnes quent publice in templis ea a Diis postulare, quæ animo exoptant. Plerique clare, ut ab aliis audiantur, mentem bonam, famam, fidem exposcunt, vota autem, quæ corde concipiunt, hæc sunt: o utinam patrui funus contingat* (ebullet, *ceu bulla exeat*); *utinam rastro, qui mehercule felix esset, seriam* (*vas oblongum*) *argento plenam effodiam; utinam pupillum extrudam, cui ego, si interierit, hæres proximus substitutus sum! Is certe scabie laborat, ac bile tumet. Me miserum! Nerius jam tertiam uxorem sepulchro condidit, mea autem adhuc vivit. Improbe, ut sancte* (*per ironiam*) *hæc poscas, mane bis, terque in Tiberino flumine caput abluis, & noctis piacula expurgas. Heus*

age responde; pauca abs te peto. Quid sentis de Jove? Eum ne alicui saltem anteponendum existimas? Stajo ne saltem homini scelestissimo? Quis enim hæres aquior, quis orphanis melior est judex, quam Stajus? (*ironice*). *Agedum igitur, dic Stajo hæc eadem, quibus Jovem orare audes. Ille licet improbissimus, tamen voti hujusmodi iniquitate perculsus clamabit: o Jupiter, o bone Jupiter! Non eadem igitur ratione ad tua vota clamabit Jupiter se ipsum nominans? Putasne illum ignovisse, quia cum tonat, fulmine arbores percutiuntur, non tu, & tua domus? An quia nondum, jubente Ergena Aruspice, & mactatarum ovium fibris, jaces in lucis tanquam triste & vitandum bidental* (bidental *locus ille dicebatur; ubi fulmina concidissent, qui illico cæsis bidentibus, ovibus nempe expiabatur, claudebaturque, ne quis illuc accederet*): *idcirco putas abs te Jovem impune contemni posse? An vero existimas Deos posse corrumpi pulmone, & lactibus unctis?* (lactes, *ait Plinius, ea esse intestina, quæ ventriculo proxime adhærent*). *Ecce autem alia ex parte* (*ad superstitiosos nunc transit*) *avia, vel matertera Deorum metuens, & perita eludere oculos fascinantium, puerum a cunis extrahit, & ejus frontem, ac labra digito* infami (*nempe medio, qui infamis dicebatur*) *salivis lustralibus prius illinit, tum quatit manibus, & inani spe sua mittit illum nunc in Licinii campos, nunc in ædes Crassi* (*nempe divitias illi Licinii, & Crassi necquidquam auguratur*): *illum, ait, Rex, & Regina sibi generum optent: puellæ ipsum concupiscant; ejus sub pedibus rosa oriantur. Ast ego quidem hæc vota nutrici non impero. Tu, Jupiter, vota hujusmodi respue, licet illa albis induta vestibus* (*quibus sacrificantes utebantur*) *te obsecraverit. Tu* (*ad alios se se convertit*) *poscis robur nervis, & senectæ valetudinem. Esto age* (*hæc*

vota

vota iniqua non sunt) sed grandes patinæ, & crassa tucceta) genus farciminis ex suillis carnibus minutim concisis) impediunt, quominus Dii te voti compotem faciant, Augere optas rem familiarem; Mercurio sacrificas, dicens: fac ut domus mihi locupletior fiat, da pecus, & fetum gregibus, At, pessime, qua ratione hoc fiet, cum vitulas quotidie mactes, quæ gregem possent amplificare? (Junices sunt vitulæ adultæ. Omentum est membrana, qua ventriculus, intestinaque integuntur). Attamen ille demens extis, & opimo farto (genus est panis, vel libi, quod Diis offertur) Mercurius vincere contendit, secum reputans: jam crescit ager, jam crescit ovile, jam dabitur, jam jam; donec deceptus, & expes ne nummum quidem sibi in arca fundo superesse videat. Si tibi ego crateras argenti afferam, & vasa aurea cælata, tu illico præ gaudio sudabis, & e læva pectoris parte (ubi cor situm est) sudoris guttas excuties, trepidum tibi cor exultabit: idcirco existimans hisce muneribus Deos pariter delectari, eorum simulacra inauras (auro ovato, aut quia imagines, quæ inaurantur ovo prius linuntur; aut aurum intelligit ex hostibus captum, quod ovationes, & triumphos comitabatur, & ex quo inde templa, simulacra, & alia in honorem Deorum extruebantur). Ais enim inter Fratres ahenos (nonnulli Castorem, & Polluem intelligunt; alii probabilius Deos omnes, ut sensus sit: inter reliquas Deorum imagines ex ære confectas præcipuo honore habeantur, & barba aurea decorentur Dii illi, qui somnia mittunt purgatissima a pituita, nempe fausta: pituita enim morbus est gallinarum, qui ex edacitate nascitur; edaces autem, & cibo gravati homines tristia tantum habere somnia dicebantur). Aurum a templis expulit vasa Numæ, quæ fictilia erant, & vasa ærea, quæ Saturni tempore in sacrificiis adhibebantur. Aurum mutavit urnas Vestales, quæ pari-

pariter fictiles erant, & simulacra fictilia, quibus olim Thusci utebantur. O animæ in terram defixæ, & cœlestium aut ignaræ, aut immemores! Cur non potius id Superis exhibemus, quod lippus Messallæ filius (scilicet Messallinus Cotta homo gulæ deditissimus, qui Senex maximo oculorum vitio laboravit) ex magnis lancibus, quibus mensam instruit, dare non possit? Cur scilicet potius quam exquisitas dapes, & ampla munera non iis exhibemus animi integritatem, sanctas, atque innoxias mentis cogitationes, pectus honestate plenum, atque perfectum? (incoactum significat bene coctum; pectus igitur honesto incoctum pectus exprimit, cui honestas alte inhæreat, & in succum quodammodo, ac sanguinem transierit). Hæc cedo &c. Fac, ut probitatem, & mores integros ad templum afferam, & Deos vel solo farre placabo. Litare enim proprie est Deos placare, votumque impetrare.



D. JUNII
JUVENALIS.

SATYRA.

Ostendit veram Nobilitatem in Virtute positam esse.

STemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Aemilianos,
Et Curios jam dimidios, nasumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis, nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Fumosos Equitum cum Dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos, si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa Duces, & castra movebant?
Cur Allobrogicis, & magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius Lare, si cupidus, si
Vanus & Euganea quantumvis mollior agna;
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squallentes traducit avos, emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas sola est, atque unica virtus.
Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum.
Præcedant ipsas illi te Consule virgas.

Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis, dictisque mereris;
Agnosco procerem; salve Gætulice, seu tu
Sullanus. Quocunque ali de sanguine rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti;
Exclamare libat, populus quod clamat Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? nanum cujusdam, Atlanta vocamus;
Aethiopem, cycnum parvam, extortamque puellam,
Europen, canibus pigris, scabieque vetusta
Lævibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremit in terris violentius. Ergo cavebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui, tecum est mihi sermo, Rubelli
Plance. Tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Juli,
Non quæ ventoso conducta sub aere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras. Tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies; solet hic defendere causas
Nobilis indocti; veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.
Hic petit Euphratem juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.
Sed.

Sed venale pecus Corythæ, posteritas &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit,
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritoque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo, ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus comunis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas. MISERUM est aliorum incumbere famæ;
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer (ambiguæ si quando citabere testis,
Incertæque rei), Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro.
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.
Dignus morte perit, cenet licet ostrea centum
Gaurana, et Cosmi toto mergatur aheno
Expectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena, modumque;
Pone & avaritiæ; miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis,
Respice quid moneant leges, quid Curia mondet,
Præmia quanta bonos maneant; quam fulmine justo
Et Capito, & Tutor ruerint damnante Senatu,
Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis,
Jamque tace. FUROR est post omnia perdere naulum,
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus & modo victis.

Plena domus tunc omnis, & ingens stabat acervus
Nummorum Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor: raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est; atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres referebant navibus altis
Occulta & spolia, & plures de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equarum
Et pater armenti capto eripietur aggello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus: hæc etenim sunt
Pro summis, nam sunt hæc maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum,
Despicias merito; quid enim resinata juventus,
Cruraque totius facient tibi levia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumque latus. Parce & messoribus illis,
Qui saturant urbem Circo, scenaque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenue nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus, & miseris: tollas licet omne quod usque est
Auri, atque argenti; scutum, gladiumq; relinques,
Et jacula, & galeam, Spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui non est sententia. verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titandia pugnam
Inter majores, ipsumque Promethea ponas:
De quocunque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitus, atque libido,
Si frangis virgis sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures.

Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major: qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas?
In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Damnasippus, & ipse;
Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul.
Nocte quidem; sed Luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Cum fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet, & occursum nusquam trepidabit amici
Jam senis, ac virgam prior annuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas, torvamque juvencum
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Solam Eponam & facies olida ad præsepia pictas,
Sed cum pervigiles placet instaurare popinas:
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit; Idumææ Syrophœnix incola portæ
Hospitis affectu dominum, Regemque salutat;
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi: fecimus & nos
Hæc juvenes: esto: desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes:
Quædam cum prima resecentur crimina barba:
Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis
Amnibus, & Reno, atque Istro. Præstare Neronem
Securum valet hæc ætas: mitte ostia, Cæsar,
Mitte: sed in magna Legatum quære popina,
Invenies aliquo cum percussore jacentem,
Permistum nautis, aut furibus, aut fugitivis,
Inter carnificas, & fabros sandapilarum,

Et resupinati cessantia tympana Galli.
Æqua ubi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Thusca ergastula mittas.
At vos, Trojugenæ, vobis ignoscitis & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt.
Quid, si numquam adeo fœdis, adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supe. sint j.
Consumtis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sippario, clamosum ageres ut phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce; nec tamen ipsi
Ignoscas populo: populi frons durior hujus,
Qui sedet, & spectat triscurria patriciorum:
Planipedes audit Fabios: ridere potest qui
Mamercorum alapas: quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone?
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymæles stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen; citharœdo Principe natus
Nobilis; hæc ultra quid erit, nisi ludus? &. illud
Dedecus urbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Graccum pugnantem, aut falce supina:
Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit,
Nec galea frontem abscondit, movet ecce tridentem,
Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nequiquam effudit, nondum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.
Cedamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat, & longo jactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere: cum Gracco jussus pugnare secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus supplicio non debuit una parari

Si-

Simias, nec serpens unus, nec culeus unus.
Par Agamemnonidæ crimen: sed caussa facit rem
Dissimilem: quippe ille Deis auctoribus ultor
Patris erat cæsi media inter pocula: sed nec
Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii; nullis aconita propinquis
Miscuit; in scena numquam cantavit Orestes;
Troica non scripsit: quid enim Virginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam sæva, crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ sunt generosi Principis artes.
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Grajæque apium meruisse coronæ.
Majorum effigies habeant insignia vocis.
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigonæ, seu personam Menalippes:
Et de marmoreo citharam suspende Colosso.
Quis, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi
Inveniet quidquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templisque parastis;
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores,
Ausi quod liceat tunica punire molesta.
Sed vigilat Consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques gelatum ponit ubique
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis, & tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio: sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro;
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem;
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.
Atque ideo postquam ad cimbros, stragemq; volabant

Qui

Qui numquam attigerant majora cadavera corvi.
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt Diis infernis, Terræque parenti.
Pluris enim Decii, quam qui servantur ab illis:
Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,
Et fasces meruit Regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus juvenes ipsius Consulis, & quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret.
Quod miraretur cum Coclite Mucius, & quæ
Imperii fines Tiberinum Virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, & legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit aut illud, quod dicere nolo.

M.

M. VALERII MARTIALIS.

HENDECASYLLABI.

1. DE HORTIS JULII MARTIALIS.

JUli jugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt.
Lati collibus imminent recessus;
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur sereniore,
Et curvas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari.
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina dedicata villæ.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcumque jacet sub Urbe frigus,
Fidenas veteres, brevesque Rubras;
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,

Quem

Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum:
Cum sit tam prope Milvius ca sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.
Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat Dominus: tuam putabis
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios Penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.
Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domate, pendulamque
Uni dedite Setiam colono:
Dum, me judice, præferantur istis
Juli jugera pauca Martialis.

2. IN CAUSSIDICUM A PROPOSITO ABERRANTEM.

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto:
Hoc Judex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Jam dic, Postume, de tribus capellis.

3. LIBELLUM SUUM CÆSIO MITTIT.

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis,
Illi tu dabis hæc vel occupato.
Instent mille licet, premantque curæ;
Nostris carminibus tamen vacabit.

Nam

Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum tibi nominis paratur!
O quæ gloria! quam frequens amator!
Te convivia, te forum sonabit,
Ædes, compita, porticus, tabernæ:
Uni mitteris, omnibus legeris.

4. AD JULIUM MARTIALEM.

Triginta mihi, quatuorque messes
Tecum, si memini, fuere, Juli,
Quorum dulcia mista sunt amaris;
Sed jucunda tamen fuere plura;
Et si calculus omnis huc & illuc
Diversus, bicolorque digeratur,
Vincit candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis.

5. AD JULIUM MARTIALEM.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt.
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Convictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis torus, attamen pudicus,
Somnus, qui faciat breves tenebras,
Quod sis, esse velis, nihilque malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

EPI-

EPIGRAMMATA.

1. AD VESPASIANUM.

QUæ tam sepofita est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
Ex qua spectator non sit in Urbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hemo,
Venit & epoto Sarmata pastus equo;
Et qui prima bibit deprehensi flumina Nili,
Et quem supremæ Tethios unda ferit.
Festinavit Arabs, festinavere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diversa sonat, populorum est vox tamen una;
Cum verus Patriæ diceris esse Pater.

2. DE REGULO A RUINA SERVATO.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque sulphureis Albula fumat aquis;
Rura, nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis
Signat vicina quartus ab Urbe lapis.
Hic rudis æstivas præstabat porticus umbras,
Heu quam pæne novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.
Nunc & damna juvant; sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare Deos.

AD

3. AD QUINCTILIANUM.

Quinctiliane, vagæ moderator summe juventæ,
Gloria Romanæ, Quinctiliane, togæ.
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam, properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta juvant, & fons vivus, & herba rudis.
Sit mihi verna satur, sit non doctissima conjux,
Sit nox cum somno, sit sine lite dies,

4. DE INIQUA IN VIVENTES POETAS FAMA.

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores;
Præferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeji quærimus umbram:
Sic laudant Catuli vilia templa senes.
Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone;
Et sua riserunt Sæcula Mæonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, o nostri, ne festinate, libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

5. EA SOLUMMODO TUTA ESSE, *Quæ Amicis donantur.*

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma Lares;
Debitor usuram pariter, sortemque negabit.
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amicus:

Mer-

Mercibus exſtructas obruet unda rates.
Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

6. AD MARCELLINUM.

Marcelline, boni ſoboles ſincera Parentis,
Horrida Parrhaſio quem tegit Urſa jugo:
Ille vetus pro te, patriuſque quod optat amicus,
Accipe, & hæc memori pectore vota tene.
Cauta ſit ut virtus, nec temerarius ardor
In medios enſes, lævaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes:
Tu potes & patriæ miles, & eſſe decus.

7. IN LAUDEM NERVÆ TRAJANI.

Tanta tibi eſt recti reverentia, Cæſar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat; ſed Numa pauper erat.
Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores;
Et cum tot Cræſos viceris, eſſe Numam.

8. IN ÆLIAM TUSSIENTEM.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes;
Exſpuit una duos tuſſis, & una duos.
Jam ſecura potes totis tuſſire diebus;
Nil iſtic, quod agat, tertia tuſſis habet.

9. IN LIUIDUM.

Qui ducis vultus, & non legis iſta libenter;
Omnibus invideas, livide, nemo tibi,

10. IN ATTALUM.

Semper agis caussas, & res agis, Attale, semper:
Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
Si res, & caussæ desunt, agis, Attale, mulas,
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

11. IN CAJUM.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai:
Vincam te donis, muneribusque meis.
Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis
Aurea quidquid habet divitis unda Tagi.
Quidquid Erythrea niger invenit Indus in alga:
Quidquid & in nidis unica servat avis,
Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno
Quidquid habent omnes, accipe, quomodo das.

12. IN ZOILUM.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

13. EPITAPHIUM URBICI PUERI.

Conditus hic ego sum Bassi dolor Urbicus infans
Cui genus, & nomen maxima Roma dedit
Sex mihi de prima deerant trieteride menses;
Ruperunt tetricæ cum mala pensa Deæ,
Quid species, quid lingua mihi quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.
Sic ad Lethæas, nisi Nestore serior, undas
Non eat, optabis, quem superesse tibi.

SE-

SELECTA QUÆDAM.

EX T. PETRONIO

ARBITRO.

1. *Pecunia quidlibet obtineri.*

QUisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes,
Et peragat caussas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus paret, non paret, habeto,
Atque esto quidquid Servius, & Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

2. *Amicitiam ob utilitatem solummodo ab hominibus coli.*


Nomen amicitiæ, si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cum Fortuna manet, vultum servatis, amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur:
Filius hic: nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata aperit.

3. *De Avaris.*

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.

Di-

Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & sicco concoquit ore famem.



EX D. MAGNO
AUSONIO.

1. *De Agathocle Syracusarum Tyranno.*

FAma est fictilibus cenasse Agathoclea Regem;
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiem que simul,
Quærenti caussam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

2. *In Didonis Imaginem.*

Illa ego sum Dido, vultu quam conspicis, hospes,
Assimilata modis, pulchraque mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens;
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius unquam,
Nec Libiam advenit classibus Iliacis;
Sed furias fugiens, atque arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, castos quod pertulit enses,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat. Vixi sine vulnere famæ.
Ulta virum, positis mœnibus oppetii.
Invida cur in me stimulasti, Musa, Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?

Vos

Vos magis Historicis, lectores, credite de me;
Quam qui furta Deum, concubitusque canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisque Deos assimilant vitiis!

3. *De picta Rhetoris Rufi Imagine.*

Hæc Rufi tabula est: nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedra. Quid agit? Hoc quod & in tabula.

4. *De Matre Spartana.*

Mater Lacæna clypeo obarmans filium
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.



EX M. ANNÆO SENECA.

1. *De Corsica Insula.*

Barbara præruptis inclusa est Corsica saxis,
Horrida, desertis undique vasta locis.
Non poma Autumnus, segetes non educat æstus;
Canaque Palladio munere bruma caret.
Umbrarum nullo ver est lætabile fœtu,
Nullaque in infausto nascitur herba solo.
Non panis, non haustus aquæ, non ultimus ignis;
Hic sola hæc duo sunt, exul, & exilium.

2. In

In Maledicum, qui ipſum exulem maligne irridebat.

Dum ſua compoſitus nondum bene concutit arma
Miles, & e noſtra lancea torta manu:
Bellus homo, & valide capitalia crimina ludis,
Deque tuis manant atra venena jocis.
Sed tu perque jocum dicis, vinumque: quid ad rem
Si plorem, riſus ſi tuus iſta facit?
Quare tolle jocos, non eſt jocus eſſe malignum;
Nunquam ſunt grati, qui nocuere, ſales.



EX C. PLINIO

SECUNDO.

1. *Hominum mentes dociles eſſe debere.*

Ut laus eſt ceræ, mollis, cedenſque ſequatur
Si doctos digitos, juſſaque fingat opus.
Et nunc informet Martem, caſtamque Minervam:
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

2. *Epitaphium Virginii Rufi.*

Hic ſitus eſt Rufus, pulſo qui Vindice quondam
Imperium adſeruit non ſibi, ſed Patriæ.



EX CL. CLAUDIANO.

De Sene rustico Veronensi.

Felix qui patriis ævum transegit in agris!
  Ipsa domus puerum vidit, & ipsa senem.
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
  Unius numerat sæcula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
  Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator tremuit, non classica miles,
  Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis
  Adspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Consule, computat annum;
  Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager soles, idemque reducit,
  Metiturque suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
  Æquævumque videt consenuisse nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
  Benacumque putat litora rubra lacum.

EX



EX INCERTIS AUCTORIBUS.

De Carminum, ac Poetarum æternitate;

Hæc urbem circa ſtulti monimenta doloris,
  Quaſque vides moles, Appia, marmoreas;
Pyramidaſque auſas vicinum attingere cœlum,
  Pyramidas, medio quas fugit umbra die.
Et Mauſoleum miſeræ ſolatia mortis,
  Intulit æternum quo Cleopatra virum,
Concutiet, ſternetque dies; quoque altius extat
  Quodque opus, hoc illud carpet, edetque magis.
Carmina ſola carent fato, mortemque repellunt;
  Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

Epitaphium Virgilii.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
  Parthenope; cecini paſcua, rura, Duces

In Hominem glorioſum.

Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas;
  Quod tua marmoreo janua poſte nitet:
Aurea quod ſummo ſplendent laquearia tecto;
  Imum cruſta tegit quod pretioſa locum:
Atria quod circa dives tegit omnia cultus;
  Hoc animos tollit nempe, beate, tuos?
Ædibus in totis gemmæ licet omnia claudant,
  Turpe eſt, nil domino turpius eſſe ſuo.

De Matre Byzantina.

Viderat exanimem mater Byzantia natum;
  Forte facit patriis dum sua vota sacris.
Impositumque suis juvenem, quæ gesserat, armis,
  Et madida hostili tela, manusque nece.
Mox nec scissa comam mater, nec territa casu,
  Fœmina fortuna celsior ipsa sua:
Nate, ait, egregium patriæ per sæcula nomen.
  Quam non degeneri funere, nate, jaces!
Nunc demum peperisse juvat dolor omnis abesto;
  Nunquam ego, te nato, non bene mater ero.

EPIGRAMMATA E GRÆCO VERSA.

DE FAUSTO PUMILIONE,

Qui ab exiguo equo ceciderat.

Vers. *Ausonii.*

Faustulus insidens formicæ, ut magno Elephanto;
  Decidit, & terræ terga supina dedit.
Moxq; idem ad mortem est multatus calcibus ejus,
  Perditus ut posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus: quid rides, improbe livor,
  Quod cecidi? cecidit non aliter Phaeton.

DE THRASYBULO SPARTANO ADOLESCENTE.

Vers. *Ausonii.*

Excipis adverso quod pectore vulnera septem,
  Arma superveheris quod, Thrasybule, tua.

Non

Non dolor hic patris, Pitanæ sed gloria major:
Rarum tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam mœsto socii posuere pheretro,
Talia magnanimus edidit orsa pater:
Flete alios, natus lacrymis non indiget ullis
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

DE MATRE SPARTANA.

Vers. *Marulli*.

Mater Lacæna conspicata filium
Relicta inermem parmula,
Progressa contra trajicit ferro latus,
Super necatum his increpans:
Abi hinc, morere, non digna me proles;
Mentite patriam, & genus.

BITONIS RUSTICI VOTUM.

Pani captum. Nymphisq; rosas, thyrsumq; Lyæo
Arbore sub viridi dat tria dona Biton.
Æquanimes capite hæc, Divi; semperque fovete,
Pan, pecudes; Nymphæ, flumina; Bacche, solum.

DE CUPIDINE AB APE PUNCTO.

Ex Anacreonte. Vers. *Andr. Dactii Florent*.

Nactus apes, furax populat dum mella Cupido,
Prædantis digitos aspera punxit apis.
Idoluit, perflansque manum, tellure repulsa,
Matris Acidaliæ constitit ante pedes.
Quantula, Mater, ait lacrymis gemebundus obortis,
Est fera! quanta mihi vulnera fecit apis!
Cui Venus arridens: apibusne simillimus ipsis
Detrahis? en quantus vulnera quanta facis.

IN MATREM, AC FILIUM,

Quorum uterque uno oculo carebat

Verf. *Amalthei*.

Lumina Acon dextro, capta eft Leonilla finiftro,
Et potis eft forma vincere uterque Deos.
Blande puer, lumen quod habes concede parenti;
Sic tu cæcus Amor, fic erit illa Venus.

DE MILITE SPARTANO,

Verf. *Averan*.

Non ego Meffanæ luctator, & editus Argis:
Sparta mihi Patria eft laude fuperba virum:
Arte illi vincunt, ego vi: Lacedæmone natos
Sic virtute decet, non fuperare dolo.

EXCERPTA.

EX T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA LIBRO I.


Æneadum genetrix, hominum, divumq; voluptas
Alma Venus, cœli subter labentia signa
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,
Adventumque tuum; tibi suaves dædala tellus
Submittit flores, tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.
Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitalis aura favoni,
Aeriæ primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initium perculsæ corda tua vi:
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amnes: ita capta lepore,
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac montes, fluviosque rapaces,
Frondiferasque domos avium, camposque virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur: neque fit lætum, nec amabile quidquam:
Te sociam studeo scribendis versibus esse,
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadæ nostro, quem tu, Dea, tempore in omni

Omnibus ornatum voluisti excellere rebus:
Quo magis æternum da dictis, diva, leporem:
Effice, ut interea fera mœnera militiai
Per maria, ac terras omnes sopita quiescant.

EX LIBRO II.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Suave etiam belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tua sine parte pericli:
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare: atque viam palantis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque est! nonne videre,
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jucundo sensu, cura semotu' metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant cumque dolorem,
Delicias quoque uti multas substernere possint:
Gratius interdum neque natura ipsa requirit.
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
Nec domus argento fulget, auroque renidet;
Nec citharis reboant laqueata, aurataque templa:
Quin tamen inter se prostrati in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ
Non magnis opibus jucunde corpora curant,
Præ.

Præsertim cum tempestas arridet, & anni
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas:
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis, ostroque rubenti
Jacteris, quam si plebeja in veste cubandum est.
Quapropter quoniam nil nostro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod superest, animo quoq; nil prodesse putandum.



EX M. TULLII CICERONIS


FRAGMENTIS.

PROGNOSTICA.

ATque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cum subito, pœnitusq; tumescit,
Saxaque cana, salis niveo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces:
Aut densus stridor cum celso e vertice montis
Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsu.
Rava fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gurgite cantus.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat,
Cum primum gelidos rores aurora remittit.
Fuscaque non nunquam cursans per litora cornix
Demersit caput, & fluctum cervice recepit.
Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes, & stagna cietis.
Mollipedesque boves spectantes lumina cœli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

Ex MARIO.

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, & varia graviter cervice micantem:
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans,
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores
Abiicit efflantem, & laceratum affligit in undas,
Seque obitu a Solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis, lapsuque volantem
Conspexit Marius divini numinis augur,
Faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit:
Partibus intonuit cœli Pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.




EX MARCI MANILII

ASTRONOMICON LIBRO I.

Carmine divinas artes, & conscia fati
Sidera, diversos hominum variantia casus,
Cœlestis rationis opus, deducere mundo
Aggredior, primusqe novis Helicona movere
Cantibus, & viridi nutantes vertice sylvas,
Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.
Nunc mihi tu, Cæsar, patriæ princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem,
Concessumque patri mundum Deus ipse mereris,
Das animum, viresque facis, ad tanta canendum.
Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum,
Et rapit æthereos per carmina pandere sensus.
Hoc sub pace vacat tantum: juvat ire per ipsum
Aera,

Aera, & immenso spatiantem vivere cœlo:
Signaque, & adversos stellarum noscere cursus.
Quod solum novisse parum est: impensius ipsa
Scire juvat magni penitus præcordia mundi.
Quæque regat, generetque suis animalia signis
Cernere, & in numerum Phœbo modulante referre.
Bina mihi positis lucent altaria flammis,
Ad duo templa precor duplici circumdatus æstu,
Carminis & rerum, certa tum lege canentem
Mundus, & immenso vatem circumstrepit orbe:
Vixque soluta suis immittit verba figuris.
Quem primum infernis licuit cognoscere terris
Munera cœlestum? quis enim condentibus illis
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?
Quis foret humano conatus pectore tantum,
Invitis ut diis cuperet deus ipse videri?
Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti.
Per te jam cœlum in terris, jam sidera nota:
Sublimes aperire vias, unumque sub orbem
Et per inane suis parentia finibus astra,
Nominaque, & cursus signorum pandere vires,.
Major uti facies mundi foret, & veneranda
Non species tantum, sed & ipsa potentia rerum
Sentirentque deum gentes, quam maximus esset,
Qui sua dispsuit per tempora, cognita ut esset
Omnibus & mundi facies, cœlumque supernum.



EX M. ANNÆI LUCANI


PHARSALIÆ LIBRO I.

Cæsar Rubiconem transit.

JAm gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes,
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa Duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mæstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui: quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? si jure venitis,
Si cives: huc usque licet. Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, gressumque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait, O magnæ qui mœnia prospicis urbis
Tarpeja de rupe Tonans, Phrygiique Penates
Gentis Juleæ, & rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,
Vestalesque foci, summique o Numinis instar
Roma; fave cœptis: non te Furialibus armis
Persequor; en adsum victor terraque, marique
Cæsar ubique tuus; liceat modo, nunc quoque miles.
Ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa tulit propere: sicut squallentibus arvis
Æstiferæ Libyes viso leo cominus hoste
Subsedit dubius totam dum colligit iram:
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
Erexitque jubas, vasto & grave murmur hiatu

In

Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit,
Fonte cadit modico parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æstas
Perque imas serpit valles, & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
Tum vires præbebat hiems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.
Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
Excepturus aquas: molli tum cætera rumpit
Turba vado faciles jam fracti fluminis undas.
Cæsar ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperiæ vetitis & constitit arvis:
Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo:
Te, Fortuna, sequor: procul hinc jam fœdera, sunto:
Credidimus fatis, utendum est judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, & torto Balearis verbere fundæ
Ocyor, & missa Parthi post terga sagitta:
Vicinumque minax invadit Ariminum: & ignes
Solis Lucifero fugiebant astra relicto:
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur: seu sponte Deum, seu turbidus Auster
Impulerat, mæstam tenuerunt nubila lucem.
Constitit ut capto jussus deponere miles
Signa foro, stridor lituum, clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populis, stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa Penatibus arma,
Quæ pax longa dabat: nuda jam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.



EX P. STATII PAPINII

THEBAIDOS LIBRO I.

Tisiphone ab Oedipo invocata ex Inferis Thebas contendit.

TAlia jactanti crudelis Diva severos
Advertit vultus. Inamœnum forte sedebat
Cocyton juxta, resolutaque vertice crines
Lambere sulfureas permiserat anguibus undas.
Ilicet igne Jovis lapsisque citatior astris
Tristibus exiliit ripis. Discedit inane
Vulgus, & occursum dominæ pavet. Illa per umbras,
Et caligantes animarum examine campos,
Tenariæ limen petit irremeabile portæ.
Sensit adesse dies: piceo nox obvia nimbo
Lucentes turbavit equos: procul arduus Atlas
Horruit, & dubia cœlum cervice remisit.
Arripit extemplo Maleæ de valle resurgens
Notum iter ad Thebas, neque enim velocior ullas
Itque, reditque vias, cognataque Tartara mavult.
Centum illi stantes umbrabant ora Cerastæ,
Turba minor diri capitis: sedet intus abactis
Ferrea lux oculis, qualis per nubila Phebes
Atracea rubet arte labor: suffusa veneno
Tenditur, ac sanie gliscit cutis: igneus atro
Ore vapor, quo longa sitis, morbique, famesque,
Et populis mors una venit: riget horrida tergo
Palla, & cærulei redeunt in pectore nodi.
Atrepos hos, atque ipsa novat Proserpina cultus.
Tum geminas quatit illa manus, hæc igne rogali
Fu-

Fulgurat, hæc vivo manus aera verberat Hydro,
Ut stetit, abrupta qua plurimus arce Cytheron
Occurrit cœlo, fera sibila crine virenti
Congeminat, signum terris, unde omnis Achæi
Ora maris late, Pelopejaque regna resultant.



EX SILII ITALICI
PUNICORUM BELLORUM LIBRO I.

Annibal perpetuum in Romanos odium jurat.

NObilis hoc ortu, & dextra spectatus Amilcar,
Ut fari, primamque datum distinguere lingua
Annibali vocem, solers nutrire furores
Romanum sævit puerili in pectore bellum.
Urbe fuit media sacrum genitricis Elisæ
Manibus, & patria Tyriis formidine cultum,
Quod taxi circum, & piceæ squallentibus umbris
Abdiderant, cœlique arcebant lumine, templum.
Hoc sese (ut perhibent) curis mortalibus olim
Exuerat regina loco: stant marmore mæstæ
Effigies, Belusque parens, omnisque nepotum
A Belo series: stat gloria Gentis Agenor,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix:
Ipsa sedet tandem æternum conjuncta Sychæo.
Ante pedes ensis Phrygius jacet: ordine centum
Stant aræ cœlique Deis, Hereboque potenti.
Hic crine effuso atque Ennææ numina divæ:
Atque Acheronte vocat stygia cum veste sacerdos.
Immugit tellus, rumpitque horrenda per umbras
Sibila; in accensis flagant altaribus ignes:
Tum magico volitant cantu per inania manes
Exciti, vultusque in marmore sudat Elisæ.
Annibal hæc patrio jussu ad penetralia fertur.

Ingressique habitus, atque ora explorat Amilcar.
Non ille errantis Massilæ palluit iras,
Non diros templi ritus, aspersaque tabo
Limina, & audito surgentes cardine flammas;
Olli permulcens genitor caput, oscula libat,
Attollitque animos hortando, & talibus implet.
Gens rediviva Phrygum Cadmææ stirpis alumnos
Fœderibus non æqua premit. Si fata negarint
Dedecus id patriæ nostra depellere dextra,
Hæc tua sit laus, nate, velis. Age, concipe bella
Latura exitium Laurentibus; horreat ortus.
Jam pubes Tyrrena tuos, partusque recusent
Te surgente, puer, Latiæ producere matres.
His acuit stimulis, subicitque haud mollia dictu
Romanos terra, atque undis, ubi competet ætas,
Ferro, igmique sequar, Rhœtæaque fata revolvam
Non Superi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celsæ obstiterint alpes, Tarpejaque saxa.
Hanc mentem juro nostri per numina Martis,
Per manes, regina, tuos. Tum nigra triformi
Hostia mactatur Divæ, raptimque recludit
Spirantes artus poscens responsa Sacerdos.
Ac fugientem animam properatis consulit extis.
Ast ubi quæsitas artis de more vetusto
Intravit mentes Superum, sic deinde profatur:
Ætolos late consterni milite campos,
Idæoque lacus flagrantes sanguine cerno:
Quanta procul moles scopulis ad sidera tendit,
Cujus in aerio pendent tua vertice castra:
Jamque jugis agmen rapitur, trepidantia fumant
Mœnia, & Hesperio tellus porrecta sub axe
Sidoniis lucet flammis: fluit ecce cruentus
Eridanus, jacet ore truci super arma, virosque,
Tertia qui tulerit sublimis opima Tonanti,
Heu quænam subitis horrescit turbida nimbis.
Tempestas, ruptoque polo micat igneus æther!
Magna parant Superi, tonat alti regia cœli,
Bellantemque Jovem cerno. Venientia fata,

Scire ultra vetuit Juno, fibræque repente
Conticuere: latent casus, longique labores.

EX C. VALERII FLACCI

ARGONAUTICON LIBRO III.


Hylas ad flumen Ascanium a Nympha raptus, & ab Hercule anxie conquisitus.

SIc ait (1) & celerem frondosa per avia cervum
Suscitat, ac juveni sublimem cornibus offert.
Ille animos tardusque fuga, longumque resistens,
Sollicitat, suadetque pari contendere cursu.
Credit Hylas, prædæque pari contendere cursu
Insequitur: simul Alcides hortatibus urget
Prospiciens. Jamque ex oculis aufertur uterque;
Cum pueru m instantem quadrupes fessaq; minantem
Tela manu procul ad nitidi spiracula fontis
Ducit, & intactas levis ipse superfugit undas.
Hoc pueri spes fusa modo est. nec tendere certat
Amplius, utque artus & concita pectora sudor
Diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.
Stagna vaga sic luce micant, ubi Cynthia cœlo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phœbi:
Tale jubar diffudit aquis; nil umbra, comæque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ.
Illa avidas injecta manus, heu sera cientem
Auxilia, & magni referentem nomen amici,
De-

(1) *Juno ad Nympham, quæ mox Hylam rapuit.*

Detrahit, adjutæ prono nam pondere vires.
Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnoque jugi ſtridore revulſas
Terga ſuper fulvi porrexerat horrrida monſtri,
Litora curva petens: alio nam calle reverſum
Credit Hylan, captaque dapes hauſiſſe ferina.
Sed neque apud ſocios, ſtructaſque in litore menſas
Unanimum videt æger Hylan, nec longius acrem
Intendens aciem: varios hinc excitat æſtus,
Nube mali percuſſus amor, quibus hæſerit oris,
Quis tales impune moras caſuſve, laborve
Attulerit. Denſam interea deſcendere noctem
Jam majore metu. Tum vero & pallor, & amens
Cum piceo ſudore rigor. Ceu pectora nautis
Congelat hiberni vultus Jovis, agricoliſve
Cum coit umbra minax: comitis ſic afficit error
Alciden, ſævæque monet meminiſſe novercæ:
Continuo, volucri ceu pectora tactus aſylo,
Emicuit Calabris taurus per confraga ſeptis,
Obvia quæque ruens; tali ſe concitat ardens
In juga ſenta fuga, pavet omnis conſcia late
Sylva, pavent montes, luctu ſuccenſus acerbo
Quid ſtruat Alcides, tantaque quid appetat ira.
Ille, velut refugi quem contigit improba Mauri
Lancea, ſanguineus vaſto leo murmure fertur;
Frangit & abſentem vacuis ſub dentibus hoſtem:
Sic furiis accenſa gerens Tirynthius ora
Fertur, & intento decurrit montibus arcu.
Heu miſeræ, quibus ille, feræ quibus incidit uſquam
Immeritis per luſtra viris. Volat ordine nullo
Cuncta petens, nunc ad ripas dejectaque ſaxis
Flumina, nunc notas nemorum procurrit ad umbras.
Rurſus Hylan, & rurſus Hylan per longa reclamat
Avia: reſponſant ſylvæ, & vaga certat imago.
At Certa ſociis immota fides, Auſtriſque ſecundis
morę: nec parvus Hylas: quamquam omnibus ęque
Grata rudimenta Herculeo ſub nomine pendent.
Illum omnes lacrymis, mœſtiſque repoſcere votis,
In-

Incertique metu nunc longas litore voces
Spargere: nunc seris ostendere noctibus ignes.
Ipse vel excelsi cum densa silentia montis,
Strata vel oblatis ductor videt æquora ventis,
Stat lacrymans, magnoque viri cunctantur amore.
Illius incessus, habilemque ad terga pharetram,
Illum inter proceres, mœstæque silentia mensæ
Quærit inops, quondam ingenti comprensa trahentem
Vina manu, & duræ referentem monstra novercæ.



EX CL. CLAUDIANI

DE RAPTU PROSERPINÆ LIBRO I.

Pluto Mercurium ad Jovem mittit.

TUm Maja genitum, fervida dicta reportet;
Imperat acciri, Cyllenius adstitit ales
Somniferam quatiens virgam, tectusque galero.
Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus
Majestate sedet; squallent immania fœdo
Sceptra situ, sublime caput mœstissima nubes
Asperat, & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. Tunc talia celso
Ore, tonat; tremefacta silent dicente tyranno
Atria; latratum triplicem compescuit ingens
Janitor, & presso lacrymarum fonte resedit
Cocytus, tacitisque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ.
Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis,
Et superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo;
I celer, & proscinde Notos, & jussa superbo
Redde Jovi. Tantum ne tibi sævissime fratrum
In

In me juris erit? Si nobis noxia vires
Cum cœlo fortuna tulit, non robur, & arma
Perdidimus si rapta dies; an forte jacentes,
Ignavosque putas quod non Cyclopea tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus auras?
Nonne satis visum est, grati quod luminis expers
Tertia supremæ patior dispendia sortis,
Informesque plagas, cum te lætissimus ornet
Signifer, & vario cingant splendore Triones?
Sed thalamos etiam prohibes? Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitryte:
Te consanguineo recipit post fulmina fessum
Juno sinu: quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem, magnamq; Themin? tibi tanta creandi
Copia: te felix natorum turba coronat:
Ast ego deserta mœrens inglorius aula
Implacidas nullo solabor pignore curas?
Non adeo toleranda quies, primordia testor
Noctis, & horrendæ stagna intemerata paludis;
Si dicto parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas:
Obducam tenebris lucem: compage soluta
Lucidus umbroso miscebitur axis Averno.

EX-



EX SÆCULI XV., ET XVI.

SCRIPTORIBUS SELECTA CARMINA.

JACOBI PONTANI.

HENDECASYLLABI.

1. DE AMICI REDITU.

E Roma meus Ælius revisit
Dulcem Parthenopem, lares paternos.
O lucem niveam, diemque faustum!
Antiquum video, & bonum sodalem,
Et caram teneo manum, fruorque
Gratis colloquiis, fruor cachinnis,
Et lætis salibus, facetiisque.
O vere niveum, diemque faustum!
Quid non pro reduci libens amico
Persolvam? Puer, i, voca sodales
Albinum, Elysiumque, compatremque,

Et dulcem Altilium, bonum Marullum,
Ad cœnam veniant, bibamus uncti,
Uncti, permadidi, atque lippientes.
Albinus numerum novem Sororum,
At monstra Herculea ebibat Marullus.
Bis septem volo Compater puellas
Junonis; volo, quot Deæ marinæ
Cinxerunt niveæ latus ministræ,
Cum Trojam peteret misella mater,
Ducet Altilius ciens coronam.
Saltans Elysius bibat, quot olim
Didonis famulæ penum struebant,
Dum cœnam profugo parat marito.
Me tot pocula, totque, totque, totque,
Tot me pocula juverint bibentem,
Tot charchesia laverint madentem,
Quotquot Di simul, & Deæ biberunt,
Aut quot, dum illa canit senex Homerus,
Siccavit calices, replevit obbas.
Dulce est ob reducem madere amicum.

2. IN NATALEM SUUM.

Dulces filiolæ, paterni ocelli,
Dulcis nate, patris tui voluptas,
Et conjux requies senis mariti,
Mecum templa piis adite votis:
Natalis meus est: Deos rogate,
Atque hunc, atque alios agamus annos,
Fausto sidere, candidis lapillis,
Dum caros mihi redditis nepotes,
Qui blanda oscula, balbulasque voces
Incomto simul ore blandiantur,
Inculto simul ore suavientur.
Mox convivia villula propinqua
Securis animis, dolore pulso,
Nocturnas ineamus ad lucernas.
Hic patri liceat seni falernum

Dif-

Diffusum cyatho minutiore
Roratim ingeminare ter, quaterque,
Dum lassos oculos sopor reclinet.
At vos, queis pudor eripit Lyæum,
Nativaque sitis levatur unda,
Dulci intingite melle, cinnamoque;
Hæc sunt pocula virginis Dianæ,
Si quando ad Superum dapes vocatur,
Tu myrtum foribus, rosamque mensæ
Appone, & violis humum colora,
Resperge & cyprio domum liquore,
Nec desit lyra, eburneusque pecten,
Qui gratas genio citet choreas
Et dulces genium decens choreæ
Hunc vos, hunc hilares rogate, mentem
Det recti cupidam, simulque honesti.
Permittatque alia a Deis regenda.

EPIGRAMMATA.


I. NUTRIX PUERUM AD SOMNUM INVITAT.

Scite puer, mellite puer, nate unice dormi;
Claude tenelle oculos: conde tenelle genas.
Ipse sopor, non condis, ait, non claudis ocellos?
  En cubat ante tuos Luscula lassa pedes.
Languidulos(bene habet) conditq; ,& claudit ocellos
  Lucius, & roseo est fusus in ore sopor.
Aura veni, foveasque meum placidissima natum:
  An strepitant frondes? Jam levis aura veni.
Scite puer, mellite puer, nate unice dormi:
  Aura fovet flatu, mater amata sinu.

2. IN IDEM ARGUMENTUM.

Fuscula nox, Orcus quoq.; fusculus: aspice, ut alis
Per noctem volitet fusculus ille nigris.
Hic vigiles captat pueros, vigilesque puellas,
Nate oculos, cohibe, ne capiare vigil.
Hic captat, seu quas sensit vagire puellas,
Seu pueros: voces comprime, nate, tuas.
Ecce volat, nigraque caput caligine densat,
Et quærit natum fusculus ille meum.
Ore fremit, dentesque ferus jam dente lacessit:
Ipse vorat querulos, pervigilesque vorat.
Et niger est, nigrisque comis, nigroque galero;
Tu puerum clauso, Lisa, recondе sinu.
Luciolum tege, Lisa: ferox quos pandit hiatus e
Quasque aperit fauces! ut quatit usque caput!
Me miseram! an ferulas gestat quoque? Parce, quiescit
Lucius, & sunt, qui rus abiisse putent,
Rura meus Lucillus habet; nil ipse molestus,
Nec vigilat noctu, conqueriturve die.
Ne sævi, hirsutasque manus tibi comprime, sæve:
Et tacet, & dormit Lucius ipse meus.
Et matri blanditur, & oscula dulcia figit,
Bellaque cum bella verba sorore canit.

AN-



ANGELI POLITIANI

EPIGRAMMATA.

1. AD PAMPHILUM.

Mittis vina mihi: mihi, Pamphile, vina superſunt.
Vis mage quod placeat mittere? Mitte ſitim.

2. AD LAURENTIUM MEDICEM.

Det tibi Neſtoreos, Laurenti, Jupiter annos;
Neſtoreum quoniam pectus, & ora dedit.

3. THEODORI GAZÆ EPITAPHIUM.

Cum terram hinc noſſet Theodorus, & aëra & undas
Jam reſtant, inquit, ſidera: terra, vale.

4. AD FURES.

Ite alio, Fures, nulla hic occaſio lucri;
Nam fida eſt cuſtos addita pauperies.

5. AD BERNARDUM BEMBUM.

Ut miseros quondam nautas Acheloia Siren
In pœnam traxit carmine blandisono:
Sic, Bernarde, tuo quemvis succendis amore,
Seu quid mente agitas, seu geris, aut loqueris.
Si caussam Veneti tutaris, Bembe, Senatus,
Mox Pitho in labris stat veneranda tuis:
Seria si tractas, credam tractare Minervam:
Si joca, dat puros Gratia nuda sales:
Carmina seu cantas, tibi Musæ in pectore cantant:
Sive taces tacito ridet in ore lepos:
Si graderis, placido non dura Modestia vultu
Est comes, & dulcis cum Gravitate Modus.
Blandus Honos vestem furtim componit, ovansque
Te circum plena ludit Amor pharetra.
Fronte Decor, sedet ore Fides, in pectore Candor,
Inque tuis omnes sunt oculis Veneres.
Sic nos devincis, nec vinctos, Bembe, relaxas,
Sic te quisquis adit, mox tua philtra bibit.
Frustra ad te florem Cylleni ferret Ulisses
Sed pro te optasset linquere vel patriam.

6. DE SIMONETTÆ FUNERE.

Dum pulchra effertur nigro Simonetta feretro,
Blandus & exanimi spirat in ore lepos,
Nactus Amor tempus, quo non sibi turba caveret,
Jecit ab occlusis mille faces oculis.
Mille animos cepit viventis imagine risus,
Ac morti insultans: est mea, dixit, adhuc.
Est mea, dixit, adhuc, nondum totam eripis illam:
Illa vel exanimis militat ecce mihi.
Dixit, & ingemuit, neque enim satis apta triumphis
Illa puer vidit tempora, sed lacrymis.

DE

7. DE ALCONE, ET SERPENTE.

Vidit ut implicitum puero pater anxius anguem,
  Intendit dubia cornua flexa manu:
Inque feræ fauces calamum sic torsit, ut audax
  Terruerit natum non minus angue senex.
Sed nunquam pius errat amor: puer hoste peremto
  Salvus erat, stupuit morte diremta salus.
Victor ab hac pharetram quercu suspendit, & arcum,
  Fortunæ, atque artis quæ monumenta suæ.

E L E G I A

AD SISMUNDUM STUPHAM.

In ejus Uxoris Albiera Albitia immaturum exitum.

Et merito; quis enim tantum perferre dolorem?
  Aut quis jam miseris temperet a lacrymis?
Sed tamen heu frustra crudelia sidera damnas
  Sismunde, & frustra numina surda vocas.
Proh dolor! ah quantos rapta pro conjuge fletus
  Ingeminas: quanto perluis imbre genas!
Sollicitasque . . . fratres, miserumque parentem,
  Inque tuo tota est vulnere nigra domus.
Nigra domus tota est flent mœsti ad limina cives,
  Flent socii lacrymis & tua damna piis.
Ipse ego qui dudum reges magno ore canebam
  Dardanaque Argolica Pergama rapta manu;
Heu nil dulce sonans taceo jam bella tubasque,
  Et refero ad nigros carmina mœsta rogos:
Ac tetum infaustus vates consortia luctus
  En repeto, & querulam pectine plango lyram,
Nec Sismunde tuos gemitûs, ægrumque dolorem
  Arceo, sunt lacrymis funera digna piis.
Majus habes vulnus secreto in pectore, quam quo

Te deceat madidas non habuisse genas.
Nam poteras dudum nulli invidisse Deorum,
Dum subiit vellis aura secunda tuis.
Nunc tibi dira suum vertit Fortuna tenorem,
Uxor abest, animæ portio magna tuæ.
Uxor abest, heu, heu, sed qualem nulla tulerunt
Sæcula, sed qualem tempora nulla ferent.
Uni quicquid habet, dederat Natura decoris,
Uni etiam dederat Gratia quicquid habet.
Candor erat dulci suffusus sanguine, qualem
Alba ferunt rubris lilia mixta rosis.
Ut nitidum læti radiabat sidus ocelli,
Sæpe amor accensas retulit inde faces.
Solverat effusos quoties sine lege capillos,
Infesta est trepidis visa Diana feris:
Sive iterum adductos fulvum collegit in aurum;
Comta Cytheriaco est pectine visa Venus.
Usque illam parva furtim componere Amores
Sunt soliti, & facili Gratia blanda manu,
Atque honor, & teneri jam cana modestia vultus
Et decor, & probitas, purpureusque pudor
Casta fides: risusque hilaris, moresque pudici,
Incessusque decens, nudaque simplicitas,
Quæ cuncta in cineres fati gravis intulit hora,
Mors cuncta immiti carpsit acerba manu.
Occidis, Albiere, prima fraudata juventa,
Exigeres vitæ cum tria lustra tuæ.
Occidis amborum correpta ante ora parentum,
Occidis ante tui lumina mœsta viri.
Ah dolor! i nunc & rebus confide secundis,
Quas fortuna levi fertque refertque manu.
Tolle animum, & victo molire ex hoste triumphos,
Laurigerum morti subjiciere caput.
Erige Tænareis radiantia tecta columnis,
Parca tamen rapida te trahet inde manu.
Ingenio, formæ, validæ confide juventæ,
Albiera ecce gravi morte soluta jacet.
Tu mihi nunc tanti fuerit quæ caussa doloris,

At-

Attonito vati, mœsta Thalia, refer.
Annua pelliti referentem sacra Joannis
  Extulerat roseo Cynthius ore diem.
Cum celebres linquens Sirenum nomine muros,
  Herculeumque petens regia nata torum,
Candida Syllanæ vestigia protinus urbi
  Intulerat longæ fessa labore viæ.
Pro se quisque igitur pueri, juvenesque, senesque,
  Matresque, & teneræ splendida turba nurus
Illius adventum celebrant, atque unicus urbis
  Est vultus festo murmure cuncta fremunt.
Est via, Panthagiam Syllani nomine dicunt.
  Omnibus hic Superis templa dicata micant.
Hic domus æthereas perrumpens Lentia nubes
  Provehit ad rutilos culmina celsa polos.
Quam prope ridentes submittunt prata colores,
  Spictaque florifero germine vernat humus.
Hic dum cornipedes primi sub arceris oras
  Tyrrhenæ expectant signa canora tubæ,
Regia nata leves gaudet celebrare choreas,
  Jamque nurus certa brachia lege movent.
Emicat ante alias vultu pulcherrima nymphas
  Albiera, & tremulum spargit ab ore jubar.
Aura quatit susos in candida terga capillos;
  Irradiant dulci lumina nigra face.
Tamque suas vincit comites, quam Lucifer ore
  Purpuero rutilans astra minora premit.
Attoniti Albieram spectant juvenesque, senesque:
  Ferreus est, quem non forma, pudorve movet.
Mentibus Albieram lætis, plausuque secundo,
  Albieram nutu, lumine, voce probant.
Vertit in hanc torvos Rhamnusia luminis orbes,
  Exiguoque movet murmura parva sono.
Tum miseræ letale favens, oculisque nitorem
  Adjicit, & solito celsius ora levat.
Tantaque perturbans extemplo gaudia, tristem,
  Qua pereat virgo, quærit acerba viam.
Hic Febrim æthereas carpentem prospicit auras,

Exerere Icarius dum parat ora canis.
Illam Erebo, Nocteque satam comitantur euntem
  Luctusque, & tenebris Mors adoperta caput.
Et Gemitus gravis, & Gemitu commixta Querela,
  Singultusque frequens, Anxietasque ferox:
Et Tremor, & Macies, pavidoque Insania vultu,
  Semper & ardenti pectore anhela Sitis:
Horridus atque Rigor, trepidæque Insomnia mentis,
  Inconstansque Rubor, terrificusque Pavor.
Marmaricique trahunt dominæ juga curva leones,
  Ignea queis rabido murmure corda fremunt.
Vertice Diva feras ardenti attollit Echidnas,
  Quæ saniem Stygio semper ab ore vomunt.
Sanguinei flagrant oculi, cava tempora frigent,
  Colla madens sudor, pectora pallor obit:
Atque animi interpres liventi lingua veneno
  Manat, & atra quatit fervidus ora vapor:
Spiritus unde gravis tetrum devolvit odorem,
  Letifera strident guttura plena face.
Sputa cadunt rictu croceo contracta colore,
  Perpetuo naris laxa fluore madet.
Nulla quies, nulli que permunt membra arida somni,
  Faucibus in salsis tussis acerba sonat.
Risus abest; rari squalent rubigine dentes,
  Sordida lunato prominet ungue manus.
Dextera fumiferam præfulgens lampada quassat,
  Sithoniasque gerit frigida læva nives,
Olli templa olim posuit Romana propago:
  Abstinuit sævas nec tamen inde manus.
Sacra illam Actiaco tenuere palatia Phœbo,
  Quique olim vicus nomine Longus erat.
Area quin etiam diræ templa ardua Febris,
  Ostendit, Marii quæ monumenta tenet.
Hoc ubi crudelis vidit Rhamnusia nostrum,
  Exacuit sævo lurida corda sono.
Aspicis hanc, inquit, Virgo sata Nocte, puellam,
  Cujus & hinc radiis ora serena micant,
Quæ gaudet fati, sortisque ignara futuræ;

Quam

Quam digito, atque oculis densa caterva notat?
Hanc nive tu gelida, rapidis hanc infice flammis:
Sic opus est, vires sentiat illa tuas.
Dixerat, & pariter gressumque avertit, & ora:
Non oculos poterat jam tolerare truces.
Continuo ardentes stimulis citat illa leones,
Sæpius & ducto versat in orbe facem.
Interea humentem noctis variantia pallam
Hesperus in rutillo sparserat astra polo.
Albiera patrios jam candida membra penates
Intulerat, molli constiteratque toro:
Jam tenero placidum spirabat pectore somnum;
Venit ad obstrusos cum Dea sæva lares.
Quo Dea, quo tendis? non te lacrymabilis ætas;
Non te forma movet? non pudor, aut probitas?
Nonne movent lacrymęq; viri, lacrymęq; parentum?
Mortalem potes ah perdere sæva Deam?
Limina contingerat, tremuerunt limina, pallor
Infecit postes, & patuere fores.
Virgineum petit illa torum, pavidæque puellæ
Pectore ab obscœno talia dicta refert:
Quæ placidam carpis secura mente quietem
Et fati & sortis nescia virgo tuæ,
Nondum sæva meæ sensisti vulnera dextræ,
Quæ tibi egò, & mecum quæ tibi fata parant.
Stat vacua tua Parca colo, moritura puella,
Ne geme, cum dulce est vivere, dulce mori est.
Sic ait, æstiferamque excussit lampada: & acres
Virginis injecit dura sub ossa faces.
Tum letale gelu invergens, guttasque veneni,
Inserta heu venis effugit inde nece.
Excitat illa gravi geminos clamore parentes
Advocat absentem nuntia fama virum.
Vicinæ extemplo matres, trepidæque puellæ
Conveniunt, teneras imbre rigante genas.
Jam fera virgineas populatur flamma medullas,
Jam gelida torpent horrida membra nive.
Linquitur infelix, non ars operosa medentum,


Non facta a misero conjuge vota juvant.
Liquitur, & quanquam diræ vestigia mortis
Cernit, & extremum sentit adesse diem;
Corde tamen gemitum premit, & spem fronte serena,
Tristitiamque acie dissimulante tegit.
Scilicet augeret trepidi ne dura mariti
Lamenta, & curas anxietate graves.
Jam decima infaustam referebat lampade lucem
Cynthius, & picea texerat ora face,
Cum miseræ extremus jam presserat error ocellos:
Fugerat heu vultus, fugerat ora color.
Aspicit illa tamen dulcem moritura maritum,
Illum acie solum deficiente notat.
Illius aspectu morientia lumina pascit,
Mens illum e media morte reversa videt.
Quis tibi tunc Sismunde dolor, cum virginis artus
Aspiceres anima jam fugiente mori?
Non tamen illa tui, non illa oblita parentum
Te vocat, & tales fundit ab ore sonos:
Pars animæ Sismunde meæ, si conjugis in te
Quicquam juris habent ultima verba tuæ,
Parce precor lacrymis, vixi, cursumque peregi,
Jam procul a vobis me mea fata vocant.
Immatura quidem morior, sed pura sub umbras
Discedam & nullis sordida de maculis.
Discedam virgo, facibus nec victa maritis
Cessi, conjugii nil nisi nomen habes.
Est mihi dulce mori, vitamque impendere famæ,
Edita mortali conditione fui.
At nisi nunc morerer, fueram moritura subinde,
Est mihi dulce etiam te superante mori.
Nil mihi jam poterant anni conferre seniles,
Vita brevis longi temporis instar habet.
Mi dederat teneri leges natura pudoris,
Mi dederat mores cum probitate pios.
Nil mutari in me cuperes, nisi tristia fata:
Humanæ vici conditionis opus.
Vidi ego te summi defunctum munere honoris,
Vi-

Vidi omnem festam pace nitere domum.
Et nisi me gemini possunt nil flere parentes :
Parce igitur manes solicitare pios.
Parce, precor, lacrymis conjux : sic lætus in auras
Evadet tenues spiritus inde meus.
Mœsta sed amborum nimis, ah nimis ora parentum
Solare, heu nostro torpet in ore sonus.
Heu rapior, tu vive mihi, tibi mortua vivam,
Caligant oculi jam mihi morte graves.
Jamque vale, o conjux, carique valete parentes,
Heu procul hinc nigra condita nocte feror.
Sic ait, & dulcem moriens complexa maritum
Labitur, inque illo corpus inane jacet;
Corpus inane jacet cara cervice recumbens
Conjugis, heu fati tristia jura gravis!
Hoc licuit vobis, o ferrea pectora, Parcæ:
Credo ego jam divum numina posse mori,
Quis nunc quis gemitus miserorum, & verba parentum
Nesciat in tantis heu repetita malis?
Ora rigat lacrymis frater, rupitque capillos
Mœsta soror, teneras & secat ungue genas.
Non secus Hectoreo Trojanæ in funere matres
Fleverunt scissis publica fata comis.
Implentur clamore lares, clamore resultant
Atria, luctisonis flectibus aula fremit.
Heu quid agas, conjux? quæ vocem in verba relaxes?
Quo fletu incuses tristia fata miser?
Non lacrymas miserandus habes, non verba dolentum.
Attonitus pigro torpet in ore sonus.
Extinctæ ingeminas tantum misera oscula, & arcte
Impedis amplexu frigida membra tuo:
Dilectosque premis vultus, premis ora, nec ullum
Invenit inclusus pectore luctus iter.
Quoque magis mersum premis alto in corde dolorem;
Hoc magis ille furit, æstuat atque magis.
Sic magis inclusus furit intra obstacula torrens,
Quæ si dimoveas, lenior inde fluet;

Quin etiam invisæ rupisses vincula vitæ,
Conjugis ut manes prosequerere pios.
Sed prohibent fratres; & blandi cura parentis:
Sed prohibent socii pectora fida tui.
Jam virgo effertur nigro composta feretro,
Desectas humili fronde revincta comas:
Heu ubi nunc blandi risus, ubi dulcia verba,
Quæ poterant ferri frangere duritiem?
Lumina sidereas ubi nunc torquentia flammas,
Heu ubi Puniceis æmula labra rosis?
Proh superi, quid non homini brevis eripit hora?
Ah miseri! somnus, & levis umbra sumus,
Non tamen aut niveos pallor mutaverat artus,
Aut gelido macies sederat ore gravis:
Sed formosa levem mors est imitata soporem,
Is nitidos vultus, oraque languor habet.
Virginea sic lecta manu cadentia languent
Liliaque, & niveis texta corona rosis.
Hic ceu nulla prius fuerint lamenta, novatur
Luctus, & indignis imbribus ora madent;
Præcedit jam pompa frequens, jam mœsta Sacerdos
Verba canit, sacris turribus æra sonant,
Funerea cives pullati veste sequuntur,
Et spargunt mæstas ore madente genas.
Densaque plebs vidui deplorant fata mariti,
Atque illum digito, luminibusque notant.
O quantum impexi crines, oculique, genæque
Noctis habent? quantus nubilat ora dolor?
Quid nunc exequias celebres, opulentaque dicam
Munera? quid donis templa referta piis?
Omnis ceratis radiat funalibus ara:
Omnis odoratis ignibus ara calet:
Æternamque canunt requiem, lucemque verendi
Sacricolæ, & lymphis corpus inane rigant,
Et tandem gelidos operosi marmoris artus
Includit tumulus, & breve carmen habet.
Hoc jacet Albieræ pulchrum sub marmore corpus:

Nu-

Nulla quidem tantum marmora laudis habent.
Exonat tumulum corpus, sed spiritus astra:
O quanta accessit gloria, lausque Polo!



JACOBI,

SIVE

ACTII SINCERI SANNAZARII.

HENDECASYLLABI.

IN TUMULUM MAXIMILLÆ.

HIc hic siste, precor, gradum, viator.
Hoc sub marmore Maximilla clausa est:
Quacum frigiduli jacent Amores
Et Lusus, Veneresque, Gratiæque.
Hanc illi miseræ severa Clotho
Pro dulci thalamo domum paravit.
Has matri dedit, has patri querelas
Pro plausu, choreisque nuptiarum,
Quid firmum tibi, quid putes, viator,
Mansurum inviolabile, aut perenne?
Si quæ deliciæ juvenculorum,
Et decus fuerat puellularum,
Nunc heu jacet ecce Maximilla,
Luctus perpetuus juvenculorum,
Æternæ & lacrymæ puellularum.

1. IN TUMULUM LADISLAI REGIS.

Miraris niveis pendentia saxa columnis,
  Hospes, & hunc, acri qui sedet altus equo?
Quid si animos, roburque ducis, præclaraque nosses
  Pectora, & invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis dejecit sedibus hostem:
  Bisque triumphata victor ab urbe redit.:
Italiamque omnem bello concussit, & armis
  Intulit Etrusco signa tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix,
  Ante suos vidit Gallica sceptra pedes.
Quumque rebellantem pressisset pontibus Arnum;
  Mors vetuit sextam claudere olympiadem.
I nunc, regna para, fastusque adtolle superbos:
  Mors etiam magnos orbuit atra Deos.

2 IM LAUDEM VENETÆ URBIS.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
  Stare urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Jupiter, arces
  Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem adspice utramque:
  Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

3. IN TUMULUM CAUDOLÆ.

Heu quæ te rigidi rapuit vis effera fati;
  Quis matri miseræ tot peperit lacrymas,
Flos veterum, Caudola, virum? tibi mœsta sepulchrum
  Ilja dedit, tristes Actius hos titulos;
Hos titulos; qui te nigras descendere ad umbras,
  Obduci Stygia non patiantur aqua.
Tempora miretur quivis sua: talis Achilles,
  Talis, quum caderet, Martius Hector erat;
I, precor, i nullos non durature per annos,
  Nestoreos qui jam vivere dignus eras.

DE

4. DE ANDREA MATTHEO AQUIVIVO.

Cerais, ut exsultet patriis Aquivivus in armis,
  Duraque spumanti frena relaxet equo?
Quis mites illum Permessi hausisse liquores
  Credat, & imbelles excoluisse lyras?
Consurgunt niveæ fulgenti in casside cristæ:
  At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrum;
  Qui Martem doctos cogis amare choros.
Hæc Ducis est virtus, non uni insistere palmæ;
  Sed nomen factis quærere, & ingeniis.

E L E G I Æ.

1. AD JOANNEM PARDUM HISPANUM.

Parde, decus patriæ, spes maxima, Parde, tuorum,
  Atque idem Hispani gloria rara soli:
Quem juvat immensi caussas exquirere mundi,
  Primaque constanti corpora juncta fide:
An magnum æterno volvatur numine cœlum:
  An propria hoc ingens mole laboret opus:
Cur falsi fluctus: cur ignibus æstuet Ætna:
  Cur vomat epotas vasta Charybdis aquas:
Unde nitor stellis: cur nox majorve, minorve:
  Cur non ipsa suo lumine Luna micet.
Felix, cœlestes cui fas nunc scandere sedes:
  In queis post obitum fata manere sinant.
At nos per silvas, & sordida rura capellas
  Versamus: quando Phyllis amare jubet.
Et teneris nostros ulmis incidimus ignes,
  Quos legat errantum cætus Hamadryadum.
Et nunc capreolos, & nunc venamur onagros:
  Interdum sævas fallimus arte feras.
Sæpe juvat pictas visco captare volucres:

Nec

Nec Satyris ipso cedimus aucupio.
Quod mihi si liceat tenui revocare cicuta
Trinacrii niveas upilionis oves;
Rura colam semper: populi valeatis, & urbes:
Rura dabunt oculis grata theatra meis.
Illic gramineas, pastorum bella, palæstras
Adspiciam, & celeri præmia parta pede.
Nec me pœniteat sudibus certare colurnis;
Aut armare cavis pectora corticibus.
Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci:
Victores molli cespite serta ferent:
Plenaque pellitus lustrabit ovilia pastor:
Ponet & agricolis rustica liba Deis.
Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
Stabit & indocta falce dolata Pales.
Quorum solemnes ictus cadet agnus ad aras;
Ictus, ut innumeras expiet agnus oves.
Tum milium, & niveo statuet fumantia lacte
Pocula; votivas concipietque preces:
Et ter transiliet flammantes potus aristas,
Ter quoque non tardo rustica turba pede.
Dii facite, inter oves, interque armenta canendo,
Deficiam; & silvis me premat atra dies:
Ut me non docta deploret pastor avena:
Utque sub umbroso contumulet platano:
Ossaque pascentes venerentur nostra capellæ:
Nec procul a tumulo candida balet ovis.
Exsultent alii Panchæo munere manes;
Et quærant Pariis marmora cæsa jugis.
Mi sat erit, veteres recolat si Phyllis amores?
Conserat & vernas ante sepulchra rosas.

AD

2. AD JOANNEM SANGRIUM,

Cum se moriturum crederet.

Si me sævus Amor patriis pateretur in oris
  Vivere, vel saltem matre vidente mori?
Ut, quæ vix uno nunc sunt ingesta libello,
  Essent illa suis continuata locis:
Forsitan immites potuissem temnere Parcas,
  Ductaque de pulla tristia pensa colo:
Nec me plebejo ferret Libitina sepulchro;
  Aut raperet nomen nigra favilla meum.
Nunc cogor dulcesque lacus, & amœna vireta,
  Pieridumque sacros destituisse choros:
Nec pote, quæ primis effudit Musa sub annis,
  Emendaturo subdere judicio.
Sic heu, sic teneræ sulcis resecantur aristæ:
  Implumes nido sic rapiuntur aves.
Proh superi, tenues ibit Syncerus in auras?
  Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu, quandoquidem Næmesis jubet, optime Sangri,
  Nec fas est homini vincere posse Deam:
Accipe concussæ tabulas, atque arma carinæ;
  Naufragiique mei collige reliquias:
Errantesque cie quocumque in litore manes;
  Taliaque in tumulo carmina cæde meo:
Actius hic jaceo: spes mecum extincta quiescit:
  Solus de nostro funere restat Amor.

3. IN CUMARUM RUINAS.

Hic, ubi Cumææ surgebant inclyta famæ
  Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris;
Longinquis quo sæpe hospes properabat ab oris,
  Visurus tripodas, Delie magne, tuos;
Et vagus antiquos intrabat navita portus,
  Quærens Dædaliæ conscia signa fugæ:

(Cre-

(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)
  Nunc silva agrestes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicæ latuere arcana Sibyllæ,
  Nunc claudit saturas vespere pastor oves.
Quæque prius sanctos cogebat curia patres,
  Serpentum facta est, alituumque domus.
Plenaque tot passim generosis atria ceris,
  Ipsa sua tandem subruta mole jacent.
Calcanturque olim sacris onerata trophæis
  Limina: distractos & tegit herba Deos.
Tot decora, artificumque manus, tot nota sepulchra,
  Totque pios cineres una ruina premit.
Et jam intra solasque domos, disjectaque passim
  Culmina setigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Grajis cecinit Deus ipse carinis;
  Prævia nec lato missa columba mari.
Et querimur, cito si nostræ data tempora vitæ
  Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem,
  Vanus & a longa posteritate ferar:
Nec tu semper eris, quæ septem amplecteris arces;
  Nec tu, quæ mediis æmula surgis aquis.
Et te (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
  Vertet: & Urbs, dicet, hæc quoque clara fuit.
Fata trahunt homines, fatis urgentibus urbes,
  Et quodcumque vides, auferet ipsa dies.

6. AD DEOS NEMORUN

Cum domum pararet extruere.

Dii nemorum, salvete: ego vos de rupe propinqua,
  De summis patriæ mœnibus adspicio:
Adspicio, venerorque; cavæ, mihi plaudite, valles;
  Garula vicinis perstrepat aura jugis.
Vos quoque perque focos felicia dicite, cives,
  Verba, per intectas flore decente vias.
Victima

Victima solennes eat inspectanda per aras,
  Turbaque Palladia fronde revincta comas,
Mosque ut ab antiquæ repetatur origine Romæ,
  Exterior sorda cum bove taurus aret.
Ac prius infosso tectum quam cingere sulco
  Incipimus, justos thure piate Deos.
Nulla per obductum decurrant nubila cœlum;
  Candidaque augustum concinat omen avis.
Exsurgat paries, ventos qui pellat, & imbres;
  Qui multa circum luce serenus eat.
Adsit dispositis series concinna columnis;
  Quæque ornet medias crebra fenestra fores.
Ipse biceps primo custos in limine Janus
  Occurrat lætis obvius hospitibus.
Protinus a dextra sacræ, mea turba, sorores
  Cingant virgineis atria prima choris.
A læva nitidis stratum Pythona sagittis
  Miretur posita Cynthius ipse lyra.
Ædibus in mediis parvi sinus amphiteatri
  Visendas Regum præbeat historias.
Ac primum triplici se se defendat ab hoste
  Fernandus rapido jam metuendus equo.
Alfonsusque pharetratas, dira agmina, gentes
  Cogat Hydruntinis cedere litoribus.
Tum juvenis Rex ipse, & Regum insignibus auctus
  Alpinos adigat linquere castra Duces.
Postremo Federicus, avito lætus honore,
  Dalmaticas grandi classe refringat opes.
Infestosque Deos, metuendaque jura minatus,
  Indicat nato bella gerenda suo.
Hic bene conveniens membris variantibus ordo
  Adspiciat celebres e regione situs.
Exhedræ, xystique, tablinum, hypocausta, diætæ,
  Et quæ privatis usibus apta velim.
Atque aliæ Occasus, aliæ vertantur in Ortus,
  Quæque habeant Borean, quæque inhibere Notum.
Jungantur longis quadrata, obliqua rotundis:
  Et capiat structos plurima cella toros.

O ſtudiis placitura meis, o mille per artes
Otia Pieriis noſtra juvanda modis!
Hic ego tranquillo tranſmittam tempora curſu:
Dum veniat fatis mitior hora meis.
Viximus ærumnas inter; lacrymoſaque Regum
Funera: nunc patria jam licet urbe frui:
Vt quod tot curæ, tot detraxere labores,
Reſtituat vati Parthenopea ſuo.

ECLOGÆ PISCATORIÆ.

PHYLLIS.

1. *Lycidas, Mycon.*

Lyc. Mirabar, vicina, Mycon, per litora nuper
Dum vagor, exſpectoque leves ad pabula thynnos,
Quid tantum inſuetus ſtreperet mihi corvus, & udæ
Per ſcopulos paſſim fulicæ, perque antra repoſtæ
Triſtia ſtebilibus complerent ſaxa querelis:
Quum jam nec curvus reſiliret ab æquore delphin,
Nec ſolitos de more choros induceret undis.
Ecce dies aderat, caram qua Phyllida terræ
Condidimus, tumuloque pias deflevimus umbras.
Ah miseri! & poſthac nec triſtes linquimus auras.
Nec dubitat ſævus ſolatia ferre Pylemon.
Myc. Scilicet id fuerat, tota quod nocte vaganti
Huc illuc, dum Pauſilypi litus omne pererro,
Piſcoſamque lego celeri Neſida phaſelo;
Neſcio quid queruli gemerent lacrymabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis, (ſi credimus) illos
Ad gemitum, o Lycida, tumuliqueadſacra vocabat.
Lyc. Eheu, care Mycon, qualis ſpectacula pompæ,
(Nunc recolo) quas ipſe manus, quæve ora notavi
His oculis! his, inquam, oculis quæ funera vidi
Infelix! nec me tandem dolor improbus egit
In ſcopulos, in ſaxa, rogove abſumſit eodem
Ignea vis, vel ſaltem aliquis Deus æquore merſit.

Myc.

Myc. O Lycida, Lycida; nonne hoc felicius illi
Eveniſſe putas, quam ſi fumoſa Lycotæ
Antra, vel hirſuti tegetem ſubiiſſet Amyntæ?
Et nunc heu viles hamo ſibi quæreret eſcas:
Aut tenui laceras ſarciret vimine naſſas.
Sed tu, ſi quid habes, veteres quod lugeat ignes,
Quod manes, cinereſque diu teſtetur amatos,
Incipe: quandoquidem molles tibi litus arenas
Sternit, & inſani poſuerunt murmura fluctus.

Lyc. Immo hęc, quę cineri nuper properata parabam
Carmina, ab extremo quum jam cava litora portu
Proſpicerem, & nivei venerarer ſaxa ſepulchri
Incipiam: tu coniferas ad buſta cupreſſus
Sparge manu: & viridi tumulum ſuper intege myrto.

Myc. En tibi cærulei muſcum æquoris, en tibi con-
Purpureas, nec non toto quæſita profundo, (chas
Et vix ex imis evulſa coralia ſaxis,
Adferimus: tu ſolennes nunc incipe cantus:
Incipe, dum ad Solem Bajanus retia Milcon
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.

Lyc. Quos mihi nunc, Divæ, ſcopulos, quæ panditis antra,
Nereides? quas tu ſecreti litoris herbas,
Glauce pater, quæ monſtriferis mihi gramina ſuccis
Oſtendes nunc, Glauce? quibus tellure relicta,
Ah miſer, & liquidi factus novus incola ponti,
Te ſequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feram bifida ſpumantia marmora cauda.
Nam quid ego heu ſolis vitam ſine Phyllide terris
Exoptem miſer? aut quid nam rapta mihi luce
Dulce putem? quidve hic ſperem? quid jam morer
Infelix? an ut hac vili projectus in alga, (ultra
Arentes tantum frutices, deſertaque cernam
Litora, & ingrato jactem mea verba ſepulchro?
Scilicet hos thalamos, hos felices hymenæos
Concelebrem? ſic ſperatæ mihi gaudia tædæ
Dat Venus? ambiguos ſic dat Lucina timores?
Quis mihi, quis te te rapuit, dulciſſima Phylli?

Phylli,

Phylli, meæ quondam requies, spesque unica vitæ,
Nunc dolor, æternusque imo sub pectore luctus.
Non licuit tecum optatos conjungere somnos,
Dulcia nec primæ decerpere dona juventæ,
Aut simul extremos vitam producere in annos.
Nunc te (qui credat?) lapis hic habet: & mihi nusquam es,
Nusquam terrarum, Phyllis: sed fabula, & umbræ
Frustrantur miseras per dira insomnia noctes.
Me miserum! qua te tandem regione requiram?
Quave sequar? per te quondam mihi terra placebat,
Et populi, lætæque suis cum mœnibus urbes.
Nunc juvat immensi fines lustrare profundi,
Perque procellosas errare licentius undas
Tritonum immistum turbis, scopulosaque cete
Inter, & informes horrenti corpore phocas,
Quo nunquam terras videam. Jam jam illa tot annis
Culta mihi tellus, populique, urbesque, valete:
Litora cara, valete: vale simul, optima Phylli.
Nos tibi, nos liquidis septem pro fluctibus aras
Ponemus: septemque tibi de more quotannis
Monstra maris magni vitulos mactabimus hirtos:
Et tibi septenis pendebunt ostrea sertis,
Ostrea muricibus variata, albisque lapillis.
Hic tibi Nisæe, & flavos resoluta capillos
Cymodoce, mitisque pia cum matre Palæmon,
Et Panope, & Siculi custos Galatea profundi
Solemnes nectent choreas, & carmina dicent:
Quæ Proteus quondam divino pectore vates
Edocuit, magni quum funera fleret Achillis,
Et Thetidis luctus consolaretur amaros.
At tu, sive altum felix colis æthera, seu jam
Elysios inter manes, cœtusque verendos
Lethæos sequeris per stagna liquentia pisces;
Seu legis æternos formoso pollice flores,
Narcissumque, crocumque, & vivaces amaranthos;
Et violis teneras misces pallentibus algas,
Adspice nos, mitisque veni: tu numen aquarum
Sem-

Semper eris, semper lætum piscantibus omen.
Ut Nymphis, Nereoque, ut flavicomæ Amphitrite
Sic tibi victrices fundent libamina cymbæ.
Interea tumulo supremum hoc accipe carmen,
Carmen, quod, tenui dum nectit arundine linum,
Piscator legat: & scopulo suspiret ab alto:
In gremio Phyllis recubat sirenis amata;
Consurgis gemino felix Sebethe sepulchro.
Myc. Dulce sonant, Lycida, tua carmina: nec mihi malim
Halcyonum lamenta, aut udo in gramine ripæ
Propter aquam dulces cycnorum audire querelas.
Sed tu (sic faciles vicina Megaria semper
Sufficiat conchas: sic proxima Mergilline
Ostrea, saxosæque ferat tibi rupis echinos)
Quandoquidem nox obscuras jam distulit umbras,
Necdum permensus cœlum Sol: incipe rursus,
Atque itera mihi carmen: habent iterata leporem.
Lyc. Ne miserum ne coge, Mycon: sat lumina, sat jam
Exhaustæ maduere genæ; dolor (adspice) siccas
Obduxit fauces: quatit & singultibus imum
Pectus: anhelantemque animam vox ægra relinquit.
Et tamen hæc alias tibi nos, & plura canemus,
Fortasse & meliora, aderit, si Musa canenti.
Quin & veliferis olim hæc spectanda carinis,
Seu Prochytæ seu Miseni sub rupe patenti
Inscribam, grandesque notas ferrugine ducam:
Præteriens quas nauta mari percurrat ab alto:
Et dicat: Lycidas, Lycidas hæc carmina fecit.
Sed quoniam socii passim per litus ovantes
Exspectant, poscuntque tuas ad retia vires;
Eja age jam surgamus: ego hæc ad busta sedebo:
Tu socios invise: escas nam quærere tempus:
Et tibi nunc vacuæ fluitant sine pondere nassæ.

MOPSUS.

MOPSUS.

2. *Celadon, Mopsus, Chromis, Iolas.*

Cel. Dic mihi (nam Baulis, verum si rettulit Ægon;
Bis senos vos, Mopse, dies tenuere procellæ)
Quid tu, quid Chromis interea, quid vester Iolas?
Dum Notus insultat pelago, dum murmurat unda,
Ecquid desertis vacui lusistis in antris?
Mop. Quid nostræ facerent ingrata per otia Musę,
O Celadon? neque tum conchas impune licebat
Per scopulos, non octipedes tentare paguros.
Jam fragilem in sicco munibant saxa phaselum:
Raraque per longos pendebant retia remos.
Ante pedes cistæque leves, hamique jacebant:
Et calami, nassæque, & viminei labyrinthi.
Tum Chromis Inarimen spectans: his, inquit, ab oris
(Ah dirum exilium) nostræ solvere carinæ:
Quum Regem post bella suum comitata juventus
Ignotis pelagi vitam committeret undis.
Quæ tamen, ut fama est, Ligurum per saxa, per altas
Stæchadas emicuit: Rhodanique invecta per amnem
(Nam, bene si memini, Rhodanum referebat Amilcon)
Oceani madidas vidit refluentis arenas,
Et quæ cæruleos procul adspicit ora Britannos;
Qua, (nisi vana ferunt) quoties maris unda recedit,
Indigenæ captant nudos per litora pisces.
Ne, Chromi, ne luctus renova, respondit Iolas:
Sat tuus hæc nobis Lucrini nuper ad undam
Narravit Lycabas: Solem se scilicet illic
Trans fluctus, trans & nubes vidisse cadentem
Haud aliter, quam si nostris e montibus illum
Cajetæ adspiceret longe post litora ferri,
Nec strepitum sensisse ruentis ab æthere currus.
Præterea mores populorum, urbesque, locosque
Exposuit, quernasque domos, & lignea tecta.

Ad-

Addidit & varias, (heu barbara nomina) gentes:
Bellovacos, Morinosque: & (quos quis dicere possit?)
Tarbellos: latis errare & flumina campis:
Nescio quem Ligerim tectis se innasse carinis.
Sed mea nunc aliæ poscunt sibi pectora curæ.
Tu modo, si quid habes (& te quoque Chloridis ardor
Excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim.
Audiet, & gracilem percurret Mopsus avenam.
Sic illi: at ego nil contra, sed quæ mihi collo
Garrula pendebat, manibus tunc sumta cicuta est.
Scilicet alternos conabar arundine versus
Excipere: alternis nam dicere uterque parabat.
Nec mora, jam Chromis hos, hos & referebat Iolas.

Chr. Nereides, pelagi sacrum genus, aut mihi vestris
Munera ferte vadis, duram queis Clorida placem:
Aut, si muneribus flecti nequit, æquore toto
Quærite, quæ nostrum sanet medicina furorem.

Iol. Sirenes, mea cura, audite hæc ultima vota:
Aut revocet jam Nisa suum, nec spernat Iolam,
Aut videat morientem: hæc saxa impulsa marinis
Fluctibus, hæc misero vilis dabit alga sepulchrum.

Chr. Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,
Quum Zephyris summæ crispantur leniter undæ,
Tuta volat, luditque hilaris per transtra juventus;
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.

Iol. Adspicis, iratæ feriant ut saxa procellæ:
Ut validis imæ Cauris turbentur arenæ?
Jam scopulis furit unda, tremit jam terra tumultu
Fallor, an hæc ipsa est Nisæ indignantis imago?

Chr. O Proteu, pastor liquidi maris, o pater, o rex,
(Quandoquidem insanos odistis numina fastus)
Quære Pithecusas tu cui licet: atque superbæ
Dic Hyale, falsum te pascere monstra per æquor.

Iol. Ille habet, ille meos scopulus mihi servat amores,
Qui propior terræ est: illum pete, Glauce natatu:
Neve manus duri contemnat Nisa mariti,

Dic te squamigeras traxisse ad litora prædas.
Chr. Est Veneri Cypros gratissima, Creta Tonanti,
Junonique Samos, Vlcano maxima Lemnos:
Ænariæ portus Hyale dum pulchra tenebit,
Nec Samos Ænariam vincet, nec maxima Lemnos.
Nisa colit Prochyten: Prochytes si commoda norint,
Ortygiam Phœbe, Tritonia jactat Hymetton:
Nisa colit Prochyten: Prochytes si commoda norint,
Ortygiam Phœbe, Tritonia linquat Hymetton.
Chr. Hic specus, hic rupes, texendisq; optima nassis
Vimina sunt, junci, densæque per avia myrtus;
Si mihi nunc Pholoe, vel tantum Chloris adesset,
Quam bene pugnaces possem contemnere ventos!
Iol. Nulla mihi sine te rident loca, displicet æquor,
Sordet terra, leves odi cum retibus hamos:
At si aderis tu, Nisa, placebunt omnia: lætus
Tunc ego vel Libycis degam piscator arenis.
Chr. Dat rhombos Sinuessa, Dicarchi litora pagros,
Herculeæ mullum rupes, synodontas Amalphis:
Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis:
Quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas?
Iol. Influviis mugil versatur, fargus in herbis,
Polypus in scopulis, mediis melanurus in undis:
Ante tuas, meas Nisa, fores ego semper oberro:
Quæ mihi det tales jucundior insula portus?
Mop. Hactenus, o Celadon, resonis sub rupibus illos
Inter se vario memini contendere cantu,
Horrida ventosi ridentes murmura ponti.
Qui tamen & laudes, & munera digna tulere
Carminibus, sed quæ nequeat contemnere Triton:
Hic, quam Circeio nudus sub gurgite cepi,
Nativis concham maculis, & murice pictam:
Ille recurvato nodosa coralia trunco.

PETRI

PETRI BEMBI

HENDECASYLLABI.

PASTORUM CHORUS.

PAstores tuæ turba te rogamus,
Seu tu nomine Pan arundinator,
Seu Faunus dubii potens futuri,
Barbatus, capripesque, cornigerque,
Seu malis pater Incubus vocari:
Nos & res tueare Dive nostras.
En jam ver redit, & dies rebellem
Paullatim sibi vindicat teporem:
Jam collis viret, & sinu soluto
Florentes tibi porrigit genistas.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Nunc annus puer, & tenellus orbis:
Nunc sol purior, & colora tellus:
Nunc ludit Venus alma: nunc sorores
Festas Gratia poscit ad choreas.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Novum montivagæ thymum capellæ
Tondent, & cytisi comam, arbutique

Pascunt purpureos oves per agros,
Et pugnam cupidi cient mariti.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Nunc, o nunc opus est, Pater, volenti
Aspires genio, & gregem revisas,
Dum liber stabulis: tibi dicatum
Ne qua sors populum gravis fatiget.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Tu fures avidum genus coerce:
Tu morbos abige atra sævientes:
Tu bellum jubeas bonus, famemque
Ignotis procul exulare terris.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Defendat saturas nemus capellas:
Fida non egeant oves canum vi:
Audaces lupus inter erret agnos:
Cumque hœdis Libyci accubent leones.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Absit fraus scelerum comes, suoque
Se livor miser imbuat veneno:
Et his cedere discat, & solutam
Devinctus metuat furor quietem.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Sit pax candida, sit beata, plena
Pomis copia, frugibusque cornu:
Qualis cum positum recenter orbem
Saturnus Jove sanctior regebat.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Audis nos Pater? an novam per agros
Suspiras Venerem, & preces recusas?
Ah cur nos fugis? hi tui poetæ:

Hæc

Hæc olim tibi ducitur chorea.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Scimus quid sit amor, quid obstinata
Defigit tacitum jecur sagitta:
Adsis tu tamen, ipse dum laboro
Cœpti carminis explicare pensum.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Et ver pulvereum, humidam & vehat Sol
Æstatem pecori laborioso:
Neu laxent pluviæ, vel impotenti
Sidus ubera comprimat calore.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Tum fons vitreus, & perennis unda
Festinans placido sonet susurro,
Quo sitim veniat, meridiemque
Umbrosa pecus elevare ripa.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras.
Gregi hæc poscimus: at gregis magistros
Præsens perpetua leves juventa,
Quam lusus comitetur, & voluptas,
Et nudos Venus osculans amores.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Dive nostras,
Sic te nec fatuæ petant puellæ,
Nec Nymphæ fugiant meticulosæ,
Dum sellæ gelidi nemus Lycei,
Et gratum tibi Mænalon revisunt;

EPIGRAMMATA.

1. JACOBI SANNAZARII EPITAPHIUM.

Da ſacro cineri flores; hic ille Maroni
  Sincerus Muſa proximus, ut tumulo.

2. RAPHAELIS SANCTII URBINATIS,

Epitaphium.

Hic ille eſt Raphael, metuit quo ſopite vinci
  Rerum magna Parens, & moriente mori.

3. HERCULIS STROZZÆ EPITAPHIUM.

Te ripa natum Eridani Permeſſus alebat,
  Fecerat & vatem Marſque, Venuſque ſuum.
Injecere manus juveni, & fatalia duris
  Stamina pollicibus perſecuere Deæ.
Uxor honorata manes dum conderet urna,
  Talia cum multis dicta dedit lacrymis:
Non potui tecum dulcem conſumere vitam:
  At jam adero amplexans te cinerem ipſa cinis.

4. POLITIANI TUMULUS.

Duceret extincto cum mors Laurente triumphum;
  Lætaque pullatis inveheretur equis,
Reſpicit inſano ferientem pollice chordas,
  Viſcera ſingultu concutiente virum.
Mirata eſt, tenuitque jugum; furit ipſe, pioque
  Laurentem cunctos flagitat ore Deos:
Miſcebat precibus lacrymas, lacrymiſque dolorem,
  Verba miniſtrabat liberiora dolor.
Riſit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
  Orpheo Tartareæ cum patuere viæ:

Hic

Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
  Fertque suas, dixit, in mea jura manus.
Protinus & flentem preussit duro Poetam,
  Rupit & in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
  Arbiter Ausoniæ Politiane lyræ.

E L E G I Æ.

1. FAUNUS AD NYMPHAS.

Dicite cur nostros Nymphæ fugiatis amores:
  Quid Faunus, quo sic despiciatur, habet?
Cornua si mihi sunt; sunt & sua cornua Baccho:
  Inque sinus vocat hunc Cressa puella suos.
Ignea si frons est, an non frons ignea Phœbo est?
  Hoc tamen est Clymene facta parente parens.
Barba riget suffusa genis? dedit improba sæpe
  Oscula barbato Deianira viro.
Intonso densoque tegor præcordia villo?
  Nil ideo Marti est Ilia questa suo.
Capripedem arguitis? quid claudo turpius? at tu
  Nupsisti claudo, Cypria pulchra, Deo.
Denique si qua meæ pars est non bella figuræ,
  Exemplum a cœlo, quod capiatis, habet.

2. DE PANE, ET GALATEA.


Pana Deum Siculi per iniquas litoris undas
  Eludit tarda dum Galatea fuga,
Seque adeo spe provectus: studioque sequendi
  Plus medium infido tingeret ille mari:
Quo fugis o Galatea? mane, mane o Galatea:
  Non ego sum, dixit, non ego, Nympha, Cyclops,
Qui flavum avulsis jaculatus rupibus Acin,
  Sævitiæ liquit tristia signa suæ.
Pastorum pecorisque Deus, cui garrula cera
  Prima dedit varios fistula juncta modos,

Quem gelidi frondosa colunt pineta Lycei;
  Lætaque Mænalio Parrhasis ora jugo.
Unam de cunctis te diligo Neptuninis:
  O Galatea mane, o jam Galatea mane.
Ille loquebatur: fundo declive maligno.
  Litus erat: gressum non tenuere pedes.
Sed pelagi dum cæca urget male cautus, & instat
  Qua refugit pendens, subtrahiturque solum;
Labitur, & summas dorso convertit arenas:
  Labentem intortis obruit unda fretis:
Utque Deam, Galatea iterans, Galatea vocabat;
  Implerunt tenues ora vocantis aquæ.
Tum primum latices epotavisse marinos
  Pana ferunt, ponti nec latuisse Deum:
Sed quia Nereidas ibat vexare puellas
  Offensum fluctus non tenuisse suos.
Ergo illum nandi insuetum glauca excipit alto
  Unda sinu: exultant irrequieta vada.
Marmora ter superare manu conatus amara,
  Ter circumfusis est revolutus aquis.
Nympha Dei lapsum cupidis spectarat ocellis,
  Gratior & pulchro risus in ore fuit.
Spectarant, sparsi ut steterant per litora, Fauni
  Pan, comites Fauni, grataque turba tua:
Et mixtus Faunis, cordi cui semper amores,
  Nympharum, & querulo tibia rauca sono,
Incubus, & Satyri, & coniferæ Silvanus,
  Arboris agresti cinctus honore caput.
Qui simulatque ipsum gentis videre parentem
  Pana sub impuris mergier æquoribus:
Nympha redi, Galatea redi, neu desere amantem,
  Ingeminant omnes: candida Nympha, redi.
Ah tantum ne admisse tuis sit dedecus undis,
  Quod taceant nulli post, Galatea, dies.
Ingeminant Divi: clamoribus icta resultat,
  Arida pumiceum qua lavit Ætna pedem.
Illa metum fallax simulare, & tendere in altum,
  Et vanas surda rejicere aure preces:

Quo.

Quo magis ii tristes mæsti versare querelas,
  Et pelagi expertes dicere amore Deos.
Pectora pars pulsare manu, pars currere in undas:
  Cedit, & argutos tardat arena pedes.
Omnia quæ obliquo lente nans respicit ore,
  Unaque tot gaudet fallere Nympha Deos.
Utque satis lusit, certe sat lusimus, inquit,
  Successuque mei non caruere doli.
Atque ita jactatis relegit freta versa lacertis,
  Pronaque non longum vincere tendit iter.
Tum summo apprensum cornu sustollit: at illi
  Clauserat insolitus lumina victa sopor.
Ut rediit cum luce animus: quo percitus æstro
  Conjugium affectas, dixit, inepte, meum?
Perque ausus vada salsa sequi regna invia vobis,
  Invitam pergis sollicitare Deam?
Numen aquæ gaudet tumidarum numine aquarum,
  Conveniunt votis vota propinqua meis.





HIERONYMI FRACASTORII

EPIGRAMMATA.

1. IN NATALEM DIEM. JANI FREGOSII CÆSARIS FILII.

SAcrorum si plena Deo sunt pectora vatum,
  Si norunt triplices fata futura Deæ;
Fortunate Infans, verus tibi gloria vates,
  Grandia concordes concinuere Deæ.
Ecce tuo felix nasci novus annus ab ortu
  Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Cresce cito, magnique Patris mirarier acta
  Incipe, & invicti Cæsaris arma sequi.
Tempus erit, tibi quum partis jam mille trophæis,
  Et fessi rebus compositis Latii,
Barbaricis captis opibus, Ducibusque subactis
  Multa tibi circum tempora laurus eat.
Tum læta ante tuum stabit Victoria templum,
  Claudet & ærata limina ahena fera.

2. IN MORTEM JO: BAPTISTÆ MONTANI

Medici Veronensis,

Dum medica, Montane, doces ope vincere fata,
  Et Lachesi invita vivere posse diu,
Læthæo indignans pressit te Parca sopore,
  Et secuit vitæ granda fila tuæ.
Sic animas & tu, Asclepi, dum subtrahis Orco,
  Te quoque sævorum perdidit ira Deum.

AD

3. AD MARSANGUM

Fluviolum prope villam Jo: Baptistæ Rhamnusii in agro Patavino.

Qui modo fons, Marsange, humilis, modo cornibus ingens
  Per salicum rapido laberis amne nemus.
Vere novo, Marsange, mihi flue lenior undis;
  Uberior sitiens quum coquit arva Canis.
Frigentes æstate tibi Rhamnusius umbras
  Sparget, & ad gelidas ipse sedebit aquas.
Vere rosam violasque feret: pictasque corollas
  Pulchra tibi hinc Nais, hinc Galatea dabit.

EPISTOLÆ.

1. AD Jo: MATTHÆUM GIBERTUM.

Ille tuus, Giberte, sacras qui in montibus aras
Mellineis tibi constituit, qui teque, tuumque
Per nemus omne canit, perq; omnia litora nomen,
Hæc enata suis mittit tibi poma sub hortis.
Aurea, quæ quondam Medorum e finibus Atlas
Transtulit, & magno servabat tuta Dracone:
Mox victor sacra exspolians pomaria Perseus,
Dum levibus nostrum talariбus aera tranat,
Donavit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.
Insuper hos, Giberte, tibi dat munera pisces,
Qui quondam Etrusci nautæ, nostraque fuere
Effigie, nunc Benaci sub gurgite nantes
Cærula convertunt sinuatis æquora caudis.
Quod si forte juvat tanti miracula facti,
Atque hominum quondam versas audire figuras,
Ipse edam, Saloi quæ quondam ad litora Battus,
Battus amor Dryadum cecinit, mihi retulit Ægon.
Forte senex Cretæ patriis Saturnus ab oris

Ad

Ab Jove depulsus, regnum, sedesque quietas
Quærebat Latio in magno, fataliaque arva:
Jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,
Quum fessus, longaque via siccatus & æstu,
Ad vada Benaci viridi prospectat in herba
Vescentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miscentes: placido quos ore salutans,
Ecquis, ait, vestrum, pueri, succurrit egenti,
Defessoque seni? quis pocula parva ministrat,
Extinguitque sitim? poscenti illudere nautæ,
Et ridere senem. Quis enim præsentibus undis
Possit habere sitim? en flumine largius illo
Ebiberis, gelidaque æstum solabere lympha.
Illusus Deus immissis in flumina palmis
Haurit aquas; pronusque bibit: tum versus ad illos,
Quo tamen e pretio, pueri, ducetis ad illas
Remigio cautes, quæ fluctibus undique circum
Clauduntur, mediisque jacet parva insula in undis,
Ostenditque locum: pretium gens impia iniquum,
Postulat. At pactus senior tamen omnia firmat,
Adjuratque Deos testes, scanditque phaselum.
Illi autem, dum nave cita liquida æquora sulcant,
Ignari, quisnam sedeat Deus: eja age nobis
Fare, senex, quonam latebras pro crimine quæris,
Anne fugam subrepto auro, dominoque relicto,
In loca tuta paras? Sed te tua fata sequuntur,
Demens, quem nullæ poterunt servare latebræ.
Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminant comites, aurumque reposcunt,
Proferri subreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiant, pulsumq; rate in media æquora turbent.
Quos placidus dictis senior demulcet amicis.
Etrusci nautæ, quæ nunc mens impia suadet
Nec servare fidem vos, nec meminisse Deorum?
Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille,
Qui tandem agnosci posset Deus: impia, dixit,
Gens inimica Deum, dabitur, quod poscitis aurum:
Hoc immo sub fonte aurum pascetis avari.

Di-

Dixerat. Ast illis veniam poscentibus, & vox
Deficit, & jam se cernunt mutescere, & ora
In rictum late paulum producta dehiscunt:
In pinnas abiere manus, vestisque rigescit
In squammas, caudamque pedes sinuantur in imam.
Qui fuerat subita obductus formidine, mansit
Pallidus ore color, quanquam livoris iniqui
Indicium suffusa nigris sint corpora guttis.
Carpus aquas, primus Numen qui læsit, in amplas
Se primus dedit, & fundo sub condidit imo.
Inde alii celeri se se in media æquora saltu
Præcipitant, vacuamq; ratem & sine remige linquunt.
Jamque Deus super unus erat: subit ipse magistri
Munus, & adductis pelagi petit ultima ripis.
Expositus ripa placidas conversus ad undas,
Ecquid io, Nymphæ Benacides, ista supersit
Navis, & hunc amnem sacrum male fausta carina,
Et vestras sulcabit aquas? En certe ita & hujus
Criminis hoc scopulo semper monumenta manebunt.
Dixit, & in partem rupis conversa pependit
Cum remis ratis ipsa suis, ubi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas litore nautæ
Collectas miseri media imposuere carina.
Ex illo nunc Benaci per litora nantes,
Atque auri venas fundo pascuntur in imo,
Nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

2. AD FRANCISCUM TURRIANUM.

Turri, si aut mihi villa & lar sit lætior, aut tu
Ferre domum tenuem possis, parvosq; penates
Urbe procul ruri se se abscondentis amici,
Quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,
Montibus his, ubi, si querulæ nemora alta cicadæ
Non rumpant, equidem vix norim æstatis adesse
Tempora, tam leni mitescit Julius aura!
Sed quid, si est angusta domus, dum pulvere & omni

Munda situ: dum sit nullo turbata tumultu;
Nescia curarum, nullius conscia culpæ:
Alta ubi per totum sit pax, & amica Camœnis
Otia, & integri per magna silentia somni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inspicere, ipse velim fuligine nigra videre?
Si non dejectum cœlo Jovis igne Typhoea.
Terrigenasque alios, spirantia signa, videbis
Admirans opus æterni memorabile Juli;
At bona Libertas aderit, quæ rura beata
Præcipue insequitur, simplexque incedit & exlex.
Hic tibi, si paullo digitus sit inunctior, aut si
Potanti insonuit cyathus, vel si pede utroque
Non steteris, nemo objiciet, nemoque sedentem
Arguet, hoc illi si fors super incubuit crus.
Stare, sedere, esse ex libito, & potare licebit.
Forsitan & mihi quid vitæ, quid sit studiorum,
Nosse optas, quo vel damnes, vel singula laudes.
Mane venit, juvat Auroram Solemque videre
Nascentem, qui non alio consurgit Eoo
Pulchrior, unde nova lætantur singula luce,
Et silvæ, scopulique, & pictis nubibus aer.
Parte aliena Benacum alto de colle saluto,
Centum cui virides invergunt flumina Nymphæ:
Ipse sinu magno Genitor magno excipit amne.
Tum juvat aut spectare boves mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulsas pascua capras
Præ caperit: cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore fetæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuso.
Interea natos discentes rustica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui secum horæ solatia portent.
Hic legitur, viridique toro, saxove sedetur
Glandifera sub fago, aut castanea hirsuta.
At variæ circum silvis, & frondibus altis
Assuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.

Tum

Tum densum nemus, atque umbræ per gramina læta
Jejunas nos invitant spatiarier horas.
At fessi hæc inter pueri sitiuntque, dolentque
Plus æquo retineri, & jam Musasque, librosque,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrere, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores sparsere nitentes.
Advenio. Primas atro lita mora cruore,
Aut grossi mensas ineunt, cors cetera, & hortus
Sufficit. Interea crebro sonat area pulsu,
Increpitat seges, & duri sub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & adorea flagris.
Fit clamor, resonat tellus rupesque propinquæ,
Et paleæ sursum strepitu jactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens despectat Olympo.
Umbra diem reliquum, somnus, librique, viæque
Producunt, dum siccam æstu Canis excoquit urbem.
Verum, ubi cæruleis ferus se se extulit undis
Vesper, & in cœlum surgentia sidera vexit,
Vicina e specula, magni admirator Olympi,
Alta rupe sedens natis astra omnia monstro:
Accendoque animos patriæ cœlestis amore.
Illi admirari, & cognoscere sidera discunt
Cepheaque, Arctonq;, & servantem plaustra Booten.
Hæc ergo præferre urbi, & contemnere magna
Si possis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has sedes, hæc limina magnus
Naugerus subiit, nec dedignatus adire est
Battus amor Musarum, ipsum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
Hic me etiam desueta Deæ, medicumque, senemq;
Carmina jusserunt canere, & ridere beato
Illudentem urbem, & male sani murmura vulgi.
Verum, hæc Gibertus ne viderit ipse, caveto s
Ni forsan Bubulone animum, curasque relaxans
Propter aquam viridi lætus consederit herba
Qua placidus leni descendit Tartarus amne.
Scilicet hic numeros non aspernatur, & audit
Nos

Nos etiam, & nostram, quamvis sit rustica, Musam.
Verum, ubi se sibi restituit, mentemque recepit
Illam alto intentam cœlo, seu sacra Sacerdos
Munera obit, totum seu contemplatur Olympum,
Tum supra & Musas, & ruris Numina supra est.
Vitam agitans Divum, Diis se cœlestibus æquans.



ANDREÆ NAUGERII

HENDECASYLLABI.

I. IN VANCIUM VICUM PATAVINUM.

Blanda, o Naiadum cohors sororum,
Quæ Vanci nitido latetis amne,
Fusæ colla decentibus capillis,
Quos large ambrosii rigant liquores,
Comptæ & carbaseo sinus amictu;
Exite e liquidis simul latebris,
In vestros simul hic adeste lusus,
Quos large Zephiro favente tellus
Vernos florida suggerit per agros.
En scandentibus hinc & hinc flagellis
Per flavas salicum comas pererrans
Vitis pampineas ministrat umbras;
Per quas sibila murmurantis auræ
Jucundum tenero strepunt susurro.
Hic gemmantibus hinc & hinc rosetis
Cultas texere vos licet coronas:
Et passim simul omnium colorum
Lectos in calathis referre flores;
Queis comptas pariter comas revinctæ,

Queis

Queis sparsæ tereres simul papillas,
Ductetis pariter choros licentes:
Ductetis hilares simul choreas.
Sed quid splendidius nitescit aer?
Quid fragantius huc feruntur auræ?
Rident omnia, & aere in sereno
Spirarunt Cyprii, Syrique odores.
Agnosco; resonis strepunt querelis
Olores Paphii, Cupidinumque
Concussæ ex humero sonant pharetræ;
Ad flores properat suos Dione.
Nunc vos Vanciades simul sorores,
Instaurate choros licentiores.
Et novæ Venerem decent choreæ,
Et chori Venerem licentiores.
Huc mitis, Dea, mitiorque semper
Adsis muneribus benigna nostris,
Quæ versis tibi fundimus quasillis:
Quæ pictis tibi teximus coronis.
Incultis face, Vancium rosetis
Pæstum vicere, floridumque Tibur.
Hæc non bruma rigens, calorque lædat:
Hæc non flamina pestilentis Austri;
Sed semper tibi cultius nitescant:
Sed semper genitalibus Favonii
Tua in munera mulceantur auris.

2. IN OBITUM BORGETTI CATULI.

Borgettus lepidus catellus ille,
Cujus blanditias proterviores,
Et lusus herus ipse tantum amabat,
Quantum tale aliquid potest amari:
Nec mirum; dominum suum ipse norat.
Cara bima velut puella matrem:
Et nunc illius in sinu latebat:
Nunc blande assiliebat huc & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore.

Et-

Erectis modo cruribus, bipesque,
Mensæ adstabat herili, heroque ab ipso
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido, maloque fato
Ad Manes abiit tenebricosas.
Miselle, o Canis, o miser Catelle,
Nigras parvulus ut timebis umbras:
Ut sæpe & Dominum tuum requires!
Cui pro deliciis, jocisque longum
Heu desiderium tui relinquis.

EPIGRAMMATA

1. IDMONIS VOTA AD AURAS.

Auræ, quæ levibus percurritis aera pennis,
Et strepitis blando per nemora alta sono:
Serta dat hæc vobis, vobis hæc rusticus Idmon
Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite æstum, & paleas sejungite inanes,
Dum medio fruges ventilat ille die.

2. IOLÆ VOTA AD PANEM.

Ille tuus, Pan montivage, venator Iolas
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictusque suum, exuviasque leonum
Sacra tibi agrestis munera pinus habet:
Nunc jam annis gravis hæc devicti cornua cervi
Dedicat, imbelli congrua dona seni.
Quum tamen Herculeæ facta inter fortia clavæ
Is quoque sit laudem visus habere labor:
Tu, Dive, hæc inter viridis decora illa juventæ
Suscipe: neve illis esse minora puta.

3. AUGONIS VENATICI CANIS EPITAPHIUM.

Venator celerem mœrens Augona Melampus
  Confossum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripa tumulum, frondente sub umbra,
  Erigit: hoc ipso concidit ille loco.
Non impune quidem prædo sceleratus abivit:
  Procubuit jaculis cæsus, & ore canum.
Tu tamen e cunctis canibus præstantior, Augon,
  Fide Augon, silvis qui modo terror eras,
Tu, dilecte, jaces; sed ab alta hac fascia pinu,
  Millusque, & millo vincula juncta suo,
Quin decisa feri cervix tibi pendeat hostis:
  Sintque una ex animo signa dolentis heri.

4. INVITATIO AD AMOENUM FONTEM.

Et gelidus fons est: & nulla salubrior unda:
  Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent soles frondentibus alni:
  Et levis in nullo gratior aura loco est:
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est:
  Exustusque gravi sidere fervet ager.
Siste, viator, iter: nimio jam torridus æstu es:
  Jam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu languorem, æstum aura, umbraque virenti,
  Perspicuo poteris fonte levare sitim.

5. VOTA CERERI, BACCHO, ET PALI.

Dat Cereri has Theleson spicas, hęc serta Lyæo,
  Hæc nivei lactis pocula bina Pali.
Pro quibus arva Ceres, vites fecundet Iacchus:
  Sufficiat pecori pabula læta Pales.

6. ALCMONIS VOTA AD VULCANUM.

Has, Vulcane, dicat silvas tibi villicus Acmon:
 Tu sacris illas ignibus ure, Pater.
Crescebant ducta e Statii propagine silvis
 Jamque erat ipsa bonis frugibus umbra nocens.
Ure simul silvas: terra simul igne soluta
 Fertilior largo fenore messis eat.
Ure istas: Phrygio nuper mihi consita colle
 Fac, pater, a flammis tuta sit illa tuis.

ELEGIE.

1. AD CEREREM

Aspice, magna Ceres, tibi quos semente peracta
 Ducimus agrestes, rustica turba, choros,
Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre:
 Neu sulcos rapido frigore rumpat hiems:
Neu sterilis surgat silva infelicis avenæ:
 Et quæcumque bonis frugibus herba nocet:
Neu terræ prostrata animosi flatibus Euri
 Decidat, aut denso grandine læsa seges.
Neu direpta avide rapiant frumenta volucres,
 Monstrave, quæ terræ plurima sæpe ferunt.
Sed quæ credidimus bene cultis semina campis,
 Uberius largo fenore reddat ager.
Sic erit. Interea nivei carchesia lactis
 Fundito, & annoso mella liquata mero.
Terque satas circum felix eat hostia fruges:
 Cæsaque mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis hæc. Post messem alii reddentur honores:
 Et sacras cingent spicea serta comas.

AD TURRIUM.

20. VERIS DESCRIPTIO.

Terei, & Prognes, nec non & Orphei fabula inseruntur.

Jam tristi canos glacie concreta capillos
  Afflatu tepidi fugit Hiems Zephyri:
Jam nitidum os Ver molle auras in luminis audet
  Proferre, & teneros ferre per arva pedes:
Tempora diversis tollens halantia sertis
  Purpureo matris Chloridos e gremio.
Summittit varios tellus fœcunda colores,
  Convertit molles quo puer ipse gradus:
Et passim quacumque vagos deflectit ocellos;
  Diffugiunt toto nubila cuncta polo.
It prope, & incutiens blandas in pectora flammas,
  Omnia jucundo accendit amore Venus.
Quam circum vario texunt e flore coronas
  Perfusæ Assyrio rore comam Charites.
Hinc atque hinc mille aligeri pueri assultantes
  Conjiciunt certa spicula acuta manu.
Concipiunt dulces animalia cuncta calores:
  Persultantque vagi pabula læta greges,
Ipse suam de colle canens Amaryllida pastor,
  Pascentes tenui carmine mulcet oves.
Percussæque nova dulcedine corda volucres
  Dant lætos passim per nemora alta sonos.
Sola gemit, ramoque sedens miserabilis alto
  Absumtum mater Thracia plorat Itym.
Dii bene, quod nostræ tam longe a finibus oræ
  Exactum hoc dira est in regione scelus.
Heu puer infelix, matri dum brachia tendit
  Assueto cupiens se implicuisse sinu;
Illa ferox animi, cæcoque agitata furore
  Avulsum duro diripit ense caput.

Quid

Quid facis ah, demens? ferro quem perdis iniquo,
  Is lac dulce tuis hausit ab uberibus.
Huic tu longinquam votis optare senectam,
  Huic solita es teneras dicere blanditias.
Heu miserum, genitor, nati, infelixque sepulchrum,
  Ut tibi nunc toto pectore sensus abit,
Infandæ nosti quum conjugis impia facta,
  Atque epulas mensis tristibus appositas!
Nempe furis, strictoque ruis violentior ense:
  Sed sublata alis effugit illa novis.
Perpetuum fleat, ut merita est: longisque querelis
  Antiqui pœnas persolvat sceleris.
Nos, Turri, dum florifero vere omnia rident;
  Spirat & e summis gratior aura jugis;
Nos hic, qua nitida pellucens rivulus unda
  Labitur, & leni murmure dulce sonat;
Cantemus molles formosæ Amathusidos ignes:
  Quidque ferox arcu, quid face possit Amor.
Armenias domat hic tigres, savasque leænas:
  Eripit hic summo, quum libet, arma Jovi.
Hoc duce palentes umbras Oeagrius Orpheus;
  Tristiaque horrendi limina regis adit:
Nec timuit sævæve Hecates immania monstra;
  Armatasve atris Eumenidas facibus.
Hoc cogente, omni quum pectore consternatus,
  Abrupto nollet vivere conjugio;
Paullatim Eurydices, veterumque oblitus amorum,
  In Calaim tota mente Boreiadem
Exarsit: penitusque insano perditus igne
  Sensit ferventes intima ad ossa faces.
Formose o Calai, pulchræ genus Orithyæ,
  Te virides silvæ, te cava saxa sonant.
In te suspirat, solum te cogitat Orpheus;
  Per te solicito nulla quies animo est.

M.

M. ANTONII FLAMINII

HENDECASYLLABI

1. AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARD.

PUlchræ Naiades, bonique Fauni,
Dilectum juvenem vocate ad istas
Mecum delicias. Ades, quiritum
Alexander ocelle: sat tulisti
Dura frigora, sat graves calores,
Et casus varios periculorum.
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, te rapacis unda
Rheni, te Liger, & Garumna vidit
Iratos properantem adire Reges,
Et componere bella, fœderumque
Leges dicere: te feras per alpes
Nuper terrificis euntem in armis
Faunique stupuere, Oreadesque,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas tremendus oras,
Et magnum Carolum tuo labantem
Firmas præsidio, trucesque nostris
Agris Teutonicas minas repellis.
Sed jam desine, jam satis laborum
Pro cara Italia subisti? omitte
Curas Urbis, & Orbis, æstuosa
Dum Canicula sævit, otiumque
Præfer dulce negotiis, ut alti

Vi-

Virtus Scipiadæ solebat olim
Factitare, tumultuosa Romæ
Linquens mœnia ter, quaterque in anno.
Hic quiasce parumper. hic molestis
Te furare laboribus: licebit
Horas fallere fervidas legendo
Musæ versiculos Horatianæ,
Et quæ Mæonides facer, facerque
Canit Virgilius: licebit antra,
Et fontes gelidos adire: risus,
Et joci comites procul fugabunt
Curas, tristiamque; nec pudebit
Modo incompositos videre motus
Saltantis Pholoes: modo assidere
Canenti Melibœo: aves tenaci
Visco fallere, piscibus juvabit
Dolos tendere vitreis sub undis.
Nec cervi, leporsve, capreæve
Absunt; accipiterque copiosas
Hic prædas agit: omnibus venusta
Rura denique gaudiis redundant.
Ergo mœnia Romuli, & severa
Cuncta desere: sed cavebis illas
Turmas innumerabiles clientum
Tecum ducere: sit comes Mapheu,
Et Mirandula, Romulusque doctis
In primis homines bonique: ad illos
Addantur alii viri elegantes,
Sed pauci tamen: haud beata gustes
Ruris comoda, ni superfluentes
Pompas Urbis in urbe derelinquas.

2. DE LAUDIBUS MANTUÆ.

Felix Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Palladi certat usque & usque
Claram reddere gentibus, probisque
Ornare ingeniis virorum, & armis!
Te frugum facilis, potensque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa, calamisque flexuosus
Leni flumine Mincius susurrat,
Et qui te lacus intrat, advenisque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid Deorum
Templa, quid memorem vias, & urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax secura loco, quiesque nullis
Turbata exsiliis, frequensque rerum
Semper copia, & artium bonarum.
Felix Mantua, centiesque felix,
Tantis Mantua dotibus beata,
Sed felix magis, & magis beata,
Quod his temporibus, rudique sæclo
Magnum Castaliona protulisti!

3. AD BACCHUM

Hanc vitem tibi dedico racemis
Gravem purpureis, pater Lyæe;
Pro qua tu mihi vineam tuere
Non dico a Satyrisve, capreisve,
Non a grandinis impetu, vel Austri,
Sed a Pygmalione Formiano,
Qui sua horribili voratione
Plus nocere queat duabus horis,
Quam grando, Satyrique, capreæque,
Et venti rabies duobus annis.

AD

4. AD STEPHANUM SAULIUM.

Candidissime Gratiarum alumne,
Ne carus tibi sim, nec ulla signa
Amoris mihi mutui rependas,
Ni te plus amo, quam solet tenella
Unicam genitrix amare natam.
Nec mirum; quid enim potest amore
Tuo dulcius esse? vel quis ullo
Fuit tempore dignus æque amari?
Honores alius sequatur, auri
Acervum cumulet nitentis: ipse
Sim beatior omnibus beatis,
Annuant modo Cœlites, ut una
Tecum vivere, tecum obire possim,
Jucundissime Sauli, honore, & auro,
Et cara mihi carior salute.

5. AD PETRUM CARNESECUM.

O Dulce hospitium, o lares beati,
O mores faciles, o Atticorum
Conditæ sale collocutiones,
Quam vos ægro animo, & laborioso,
Quantis cum lacrymis miser relinquo!
Cur me sæva necessitas abire;
Cur vultum, atque oculos, jocosque suaves
Cogit linquere tam venusti amici?
Ah Reges valeant, opesque Regum,
Et quisquis potuit domos potentum
Anteponere candidi sodalis
Blandis alloquiis, facetiisque.
Sed quanquam procul a tuis ocellis,
Jucundissime Carnesece, abibo
Regis imperium mei secutus,
Non loci tamen ulla, temporisve

In-

Intervalla tuos mihi lepores,
Non mors ipsa adimet: manebo tecum,
Tecum semper ero, tibique semper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite, optime, mi venuste amice.

6. AD LUDOVICUM STROZZAM

Strozzam Flaminius suum salutat
Benaci liquidam jacens ad undam
Sub myrto beneolente, dum superba
Terit limina Principum misellus
Strozza. Tuna molesta in urbe semper
Inclusus, variis agri beati
Nunquam deliciis fruere? nunquam
Ruris gaudia noveris? Miselle,
Rumpe obstantia claustra, rumpe lentas
Moras, si sapis, optimumque amicum
Vise. Hic Virgilium tuum, meumque
Catullum vacui legemus: hic tu
Cultis versiculis canes amœnos
Hortos, & vitrei lacus decentes
Nymphas: me cithara bonum Gibertum
Juvat dicere, cujus hic agellus
Mihi munere partus: hunc agellum
Ille donat habere, quo nec alter
Baccho, & Palladi gratior, nec alter
Musis otia, & abditos recessus
Præbet commodius: modo hæc benigni
Faxint propria dona Di, talenta
Crœsi despicio, Midæque acervos.

7. AD NICOLAUM ORMANETUM.

Quid, o candide amice, semper ista
Juvat vivere in Urbe, cursitando
Nunc per limina Principum superba,
Nunc subsellia judicum terendo?
Ormanete, fugit levis juventa

Ventis ocyor, & subit senectus
Curva, quam sequitur ferox tenebris
Mors operta: nec illius furorem
Arcet nobilium favor: clientem, &
Par onum rapit illa. Amice, quæso
Vive, dum licet, otioque dulci
Ruris, elue amara civitatis.
Si gustare mei semel quietem
Agelli potes, & periclitari.
Quam sit suave, tumultuosa ab Urbe
Semotum sibi vivere, otiosa
Numquam sit mihi vita, ni potentum
Fortunasque, domosque, gratiamque
Arbitrabere vix pili æstimandas.
Tunc dices: nihil est profecto mirum
Meus Flaminius quod esse lætus
Fortuna exigua, previque censu
Audet, nil populi leves honores
Curans, nil rutilos Midarum acervos.

EPIGRAMMATA

AD AGRESTES DEOS.

Pan pater, & Silvane senex, Faunique bicornes,
Tuque pharetratæ candida turba Deæ,
Si mea vos dulci delectat fistula cantu,
Si semper vobis annua dona fero,
Parcite purpureos, quæso, violare racemos,
Neu tangant avidæ lutea pruna manus.
Hunc agrum dat habere mihi Farnesius heros;
Gratus ego hæc illi munera prima dico:

2. AD LIGURINAM

Jam rapidus torret mediis Sol æstibus agros;
Ad vallem niveum duc, Ligurina, gregem.
Hic

Hic avium cantus, hic sonus nitidissimus antro
  Prosilit, hic densis quercubus umbra cadit:
Et circum flores examina læta susurrant,
  Et Zephyri blando murmurat aura sono.
Hic laudes, formosa, tuas mea fistula dicet:
  Tu Dryadum calamo dulcia furta canes.

3. DE LYGDA RIDENTE.

Aspicis ut læti surgunt per gramina flores?
  Explicat ut virides arbor ubique comas?
Ut melius fulgent soles, ut nubila cœlo
  Diffugiunt, terris diffugiuntque nives?
Hæc facies, hæc est Lygdæ ridentis imago;
  Tristitiam vultu sic fugat illa suo.

4. DE LIGURINA FLENTE.

Vidisti nitidas per candida lilia guttas
  Ludere, cum tenui decidit imber aqua?
Et rorem de puniceis stillare rosetis,
  Cum spirat nascens frigora blanda dies?
Hæc facies, hæc est Ligurinæ flentis imago;
  Illius lacrymis me ferus urit Amor.

ELEGIA
DE SE NEAPOLI PROFICISCENTE.

Pausilypi colles, & candida Mergilina,
  Et myrteta sacris consita litoribus,
Si mihi post tantos terræque marisque labores
  Contigerit vestræ limina adire Deæ;
Limina, quæ vates specula fundavit in alta
  Actius, Eois clarus & Hesperiis;
His ego pileolum figam, & calcaria, & ensem,
  Et quæcumque vagus arma viator habet.
Nec mihi jam quisquam vel prudentissimus ullas
  Aut pelagi, aut terræ suaserit ire vias;

Non mihi Persarum si detur regia gaza;
 Non mihi si rubri serviat unda maris.
Quis furor est, nullis unquam requiescere ter is,
 Atque alia ex aliis semper adire loca?
Nec vitare graves æstus, nec frigora sæva,
 Nec timuisse vagæ mille pericla viæ?
Felix, qui parvo contentus vivit agello,
 Nec linquit patriæ dulcia tecta domus!
Quem versare juvat fœcunda ligonibus arva,
 Et nitidam vitis fingere falce comam.
Aut gelidam summo lympham deducere clivo,
 Æstibus ut mediis arida prata bibant.
Aut tondere gregem lucenti vellere amictum,
 Et tonsum liquidis mergere fluminibus.
Hic laribus certis, certisque sodalibus utens
 Magnorum vita Cœlicolum potitur.
Nec violentus eum crudeli vulnere latro,
 Nec fera cæruleo perdidit unda mari.
Ille suis moriens suprema dat oscula natis
 Deficiens casto conjugis in gremio.
Illa viri fugientem animam dulci excipit ore
 Et claudit tenera lumina cara manu:
Dehinc tumulum viridi componit margine fontis,
 Qua vetus arboreis decidit umbra comis.
Huc madefacta piis lacrymis fert liba quotannis
 Cum pueris veniens mæsta puella suis:
Et magna manes compellat voce mariti,
 Spargens fictilibus lac niveum calathis:
Nec potis est dulci tumulo se avellere, donec
 Hesperus invitam cogit abire domum.
O fortunati cineres, umbræque beatæ,
 Morte obita si quem talia fata manent!
At, me, dum terras, & vasta per æquora curro;
 Si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,
Quis tumulum faciet? tumulo quis tristia libans
 Dona, peregrinas flebit ad inferias?
Jam valeant Alpes, & nimbifer Apenninus,
 Tuque maris nostri litus utrumque vale.

Me

Me juvat umbrosis vitam nunc degere in hortis,
Et Phœbo, & Musis otia digna sequi.
Tum rerum caussas, eventaque dicere · quæ sint
Lege colenda homini numina sancta Deum:
Qui deceant mores, faciat quæ vita beatum:
Quid verum falsis distet imaginibus
In primis celebrare Patrem fidibus juvat, a quo
Ex nihilo Vates omnia facta canunt;
Cœlicolæ quem Tergeminum venerantur & Unum;
Qui mare, qui terras, qui supera alta regit.
O utinam ille suo me sistat numine sancto
Ad fortunati litora Pausilypi!
Litora divino quondam celebrata Maroni,
Et patrio Minci flumine cara magis.
Litora, quæ toties viderunt Calliopeam
Dictantem vati carmina docta suo.
Sirenes illis stupuerunt versibus: illis
Carminibus omnis Nereis obstupuit.
Ipse pater Tegeæus amœna vireta Lycæi
Linquens insolitis cantibus intererat:
Quem comitabantur silvarum numina Fauni
Et Nonacrinæ maxima turba Deæ.
Ille coronatus viridanti tempora myrto
Dicebat laudes, candide Daphni, tuas:
Et quæ Mænalius dulci cantarat avena,
Dum pascit niveas Alphesibœus oves.
Tum miseros Galli consolabatur amores,
Duritiam incusans, pulchra Lycori, tuam:
Hinc lætas segetes, & Bacchi dona canebat,
Et pecus, & liquidis dulcia mella favis:
Mox sese attollens numero graviore sonabat,
Trojanis referens horrida bella Ducis;
Erroresque vago, & diruta Pergama flammis,
Visaque Tartarei pallida regna dei;
Tum patri celebrata prius certamina, pæne
Fœmina cum Phrygias perdidit una rates.
In primis fatum miseræ deflebat Elisæ,
Quam tulit heu diro vulnere sævus amor.

Siste ratem, Ænea, properas quid funus amanti?
  Per Veneris quæso numina, siste ratem.
Quod si forte tuæ mors est tibi cara puellæ,
  Ah saltem in gremio concidat illa tuo.
Vos, o cærulcæ formosa Doride natæ,
  Vos dominum ad litus, quæso, referte meum.
Sic vestro nulli veniant in amore dolores:
  Sic vobis semper mutuus adsit amor.
Ille canit: celso properant de vertice lauri,
  Et prata omnigeno flore colorat humus.
Tu ne sacrum felix aluisti terra Maronem?
  Tu ne pio celas ossa beata sinu?
An ne etiam, ut fama est, Vatis placidissima sæpe,
  Inter odoratum cernitur umbra nemus?
Felices oculi, fortunatissima silva,
  Et quidquid sancto nascitur in nemore?
Cui non sit dulci patria tua dulcior ora?
  Quis non te lucis præferat Elysiis?
Jam mihi Benaci, letissima litora sordent,
  Jam formosus aquis Mesulus irriguis.
Me tibi, terra beata, dico; tu meta laborum,
  Jamque senescentis grata quies animi.
Tu, dum fata sinunt, lucemque, auramque ministra:
  Tu, precor exstincti corporis ossa tege.

BA-

BALTHASSARIS CASTILIONIS

ELEGIÆ

PROSOPOPOEIA.

LUDOVICI PICI MIRANDULANI.

Credite, mortales, animæ post fata supersunt
  Diraque mors nostri nil nisi corpus habet.
Fabula nec manes vana est exire sepulchris
  Per noctem, tenebris & volitare vagos.
Nam modo, dum nostro Mirandula milite cincta est,
  Vidi ego vera quidem, sed caritura fide.
Nox erat, & noctem superans candore nivali
  Clara repercusso lumine Luna magis.
Ipse ego sub muris fossa defensus opaca
  Scrutabar, tutum qua magis esset iter.
Astitit hic subito manifestum manibus ipsis,
  Ante oculos Picus visus adesse meos.
Tristis erat facies, atroque inspersa cruore;
  Et lacerum ambusto nunc quoque crine caput.
Obstupui, gelidusque tremor per membra cucurrit;
  Et subito arrecta est hirta timore coma.
Ille autem torvum despectans castra, repente
  Infremuit, gemitu solvit & ora gravi.
O Pater, o Pastor populorum, o maxime mundi
  Arbiter, humanum qui genus omne regis;
Justitiæ, pacisque dator, placidæque quietis;
  Credita cui soli est vita, salusque hominum;
Quem Deus ipse Erebi fecit, Cœlique potentem,
  Ut nutu pateant utraque regna tuo;


Quid potui tantum infelix committere? culpa
  Aut mea quæ nam in te tam gravis esse potest,
Ut patriam, natumque meum uxoremque laresque
  Perdere, & excidio vertere cuncta velis?
Certe ego te propter caput objectare periclis,
  Nec timui toties velle subire necem.
Felsina cum imperium jam detrectaret, & in te
  Tristia civilis sumeret arma furor,
Hæc mea dextra tuos armis compescuit hostes,
  Et leto multos sanguinolenta dedit.
Denique dum innumeris cupio te ornare triumphis,
  Sanguinis ipse mei prodigus occubui.
Vulnera testantur nostros hæc sæva labores,
  Implorantque tuam nomen inane fidem.
Flens tener in cunis vagitu natus amaro
  Pollicitis queritur pondus abesse tuis.
Tot perpessa graves conjux miseranda labores,
  Supplicibus veniam mœsta petit lacrymis.
Stant miseri squallore patres, trepidæque puellæ,
  Et matrum passis stat pia turba comis.
Omnes in te animum jam convertere, rogantque,
  Ut tua det fessis dextera rebus opem
Aspice captivis vacuos cultoribus agros,
  Abductas pecudes, agricolasque boves,
Disjectasque domos passim, populataque raptis
  Arboribus late, & frugibus arva suis.
Tu vero ulterius lacrymis, dulcissima conjux,
  Et gemitu manes lædere parce meos.
Postquam nulla potest mitis clementia diræ
  Consilium mentis flectere, nec pietas;
Effuge, quodque unum est nostri tibi pignus amoris,
  Dulce onus hinc ulnis fer puerum ipsa tuis:
Nec mea descendens saxo hic clausa ossa relinquo
  Condita, sed caro tecum habeas gremio,
Ne rabie immani, tumulo sint eruta avito,
  Et jaceant media semisepulta via.
Hæc speranda mihi, postquam sectatur & umbram,
  Sævit & in cineres mens male grata meos;

Nec sinit inferias nostro te ferre sepulchro:
Annuaque extincto reddere justa viro.
Sed tamen & Superi cernunt mortalia, habetque
Justitiæ ultorem dextra minax gladium;
Inque malos, sit lenta licet, certa ira Deorum est,
Pœnaque tam gravior, quam mage sera venit.
Nec longum nostro lætabitur impius hostis
Sanguine: fata illum non leviora manent.
Hæc ille, & plura his; sed verba extrema loquentis
Terribilis nostra rupit in aure sonus,
Nam subito, ingenti tormenta impulsa ruina
Increpuere, gravi terra tremit sonitu.
Fulminei ingeminant ictus, volat impete diro
Ferrea sulphureo concita ab igne pila.
Mœnia tum nutant labefacta: at tristis imago
In tenebras querulo mœsta abiit gemitu.

2. AD PUELLAM IN LITORE AMBULANTEM.

Ad mare ne accedas proprius, mea vita; protervos
Nimirum, & turpes continet unda Deos.
Hi rapiunt, si quam incautam aspexere puellam
Securos bibulo litore ferre gradus.
Quin etiam in siccum exiliunt sæpe, agmine facto
Atque abigunt captos ad sua regna homines.
Os informe illis, rictus, oculique minaces,
Asperaque anguino cortice membra rigent.
Barba impexa, ingens, alga, limoque virenti
Oblita, oletque gravi lurida odore coma.
Hos tu seu pisces, seu monstra obscœna vocare,
Sive Deos mavis, si sapis, ipsa cave.
Nec tibi sit tanti pictos legisse lapillos,
Ut pereas magno, vita, dolore meo.
Quin potius diversi abeamus; respice ut antrum
Ad dextram viridi protegit umbra solo.
Decurrit rivus gelidis argenteus undis,
Pictaque odorato flore renidet humus.

Imminet & fonti multa nemus ilice denſum ,
  Et volucres liquido gutture dulce canunt .
Hic poteris tuto molli requieſcere in herba
  Propter aquam , & niveos amne lavare pedes .
Tu mihi ſerta tuis contexta coloribus ; ipſe
  Texta meis contra mox tibi ſerta legam .
Floribus , & roſeis crinem redimita corollis .
  Et compto incedes conſpicienda ſinu .
Silvicolas , mea vita , Deos torquebis amore ;
  Ignibus urentur flumina & ipſa meis .
Inde domum formoſa mage , & mage culta redibis ;
  Rumpetur tacita cum Hippolyte invidia .



JO-

JOANNIS CASÆ

ELEGIA.

AD M. ANTONII FLAMINII MANES.

Flaminii Manes, inſtar mihi Numinis Umbra
Flaminii, hæc campis cernis ab Elyſiis
An tibi, quæ noſtri fuerat tam fervida cura
Cocytus nigris eluit amnis aquis?
Tu ſolitus Priulique auſus compeſcere inanes,
Et molli verſus frangere voce truces.
At nunc ille malo Galateum carmine vexat,
Et ſanctum nobis pellit ab urbe virum.
Tu ne auſus, Priuli, Galateum pellere ab urbe,
Aſperaque in dulcem dicere verba ſenem?
Tu ne auctor, Romæ montani ut munera vici,
Fumoſi ut curam preferat ille laris?
Aureus ille ſenex, vitæ cui licia Parcæ
Intacta ducunt candidiora nive,
Qui nec Principibus, urbi nec ſcilicet ægræ
Formidet medicas adplicuiſſe manus;
Quemque adeo nemorum cuſtos, pecoriſq; magiſter
Mandarit ſacro ſummus adeſſe gregi,
Hinc eat, & fuſcas ignoti ad flumina Melphæ
Paſcere cum vili conjuge pergat oves?
Quid ſi animis juvenumque ſenumq; eſt illius æque
Dulcior Hybleis alba ſenecta favis?
Quid ſi illum retinent quicunq; Amaryllida curant,
Hujus ad exemplum peccet ut illa minus?
Uxorem hunc tamen ad vetulamq; humilemq; releges,
Frigida ut in viduo ne cubet illa toro,

Quæ puras pridem didicit perducere noctes,
 Et monitis casta est, & probà facta viri?
Sed tu, Flaminii potius jam nobilis umbra
 Et multum insigni conspicienda lyra,
Ni te cæca hujus cœpere oblivia lucis,
 Cum tibi mors avidas intulit atra manus;
Huc ades, & Priulum compescas: nam male nobis
 Jamdudum insolito versus in ore sonat.

O D E I.

AD GABRIELEM FAERNUM.

Humida Tyrrheni fugientem flamina venti,
 Cœlumque pestilens Latii,
Me Venetum excipient mitissima litora, & auræ
 Sulubriores putribus
Jam membris senio, & podagra turgentibus acri,
 Quæ flare fuerunt, nec mala
Imbutæ tussis, neque in ipsis fluctibus udæ,
 Faerne, mireris licet.
Prorsus qui Romam liquit, rerum ille carebit
 Pulcherrimo spectaculo;
Nec cętum æque illustrem hominum, nec Palladis ęque
 Instructa pectora artibus,
Terrarum ut cunctas lustret circumvagus oras,
 Offendet usquam gentium;
Fragmina nec muri aspiciet majora vetusti
 Non diminutis urbibus.
In primis Bromii latices, & frigida siccis
 Requiret idem faucibus
Pocula lympharum sub terras condita opacas,
 Aut fossa Lucanam in nivem.
Ipse ego, ferventi delapsam ex imbrice lympham
 Nuper, nec altos in scrobes
Vt vappam, salices inter quæ nata palustres
 Cœni saporem patrii
Potanti affundet, mediis fevoribus ardens

Ar-

Arente fauce traxero.
Eſt idem hoſpitibus placidos, & dulcia pacis
Impertientes commoda
Mortales cernam, & locupletem civibus urbem
Diſpar probantibus nihil.
Cernam loricam violentam, enſemque ſuperbum
Inermibus ſuffragiis
Conſtrictum, & diræ execratum cædis amorem
Longe exulantem gentium.
Illic cum cano Prudentia ſera capillo
Paret viciſſim, & imperat.
Illo ſe nuſquam propendens contulit, Æquum
Bonæ comes Concordiæ;
Fraudibus Heſperia ut pulſum eſt, timuitque rapacis
Uncas Licentiæ manus.

O D E II.

AD FORTUNAM.

Expers conſilii, quæ pede lubrico
Incedis, zephyris mobilior Dea,
Et fluctu Ionii incertior æquoris;
Te, cum læta ſinum pandis, & uberes
Fundis divitias, ac miſeris ades
Improviſa, boni progeniem Jovis
Dicunt. Tu ratio, tu ſapientia,
Servatrix eadem crederis urbium,
Virtutiſque ſedens in ſolio nites.
Sed mox torva domos Regum ubi concutis
Et congeſta diu munera, turribus
Dejectis, ſubito turbine diſſipas;
Vanæ te comitem ſtultitiæ ferunt
Deliram. Immeritum tu, titulo bonis
Demto, nobilitas; frena ſuperbiæ
Atris tu manibus detrahis ebriæ
Succeſſu, & ruere hanc ſic temere ad ſuum
Rides arbitrium, mox humilem truces

Vultus depofituram. O utinam meæ
Oblita oftiolum prætereas domus!
Seu tu fanguineis oppida territans
Bellis, ingrederis per Latium fera;
Seu pacemque gerens, & populos beans,
Pennis involitas verficoloribus.
Nam fic inftabilem vifere te meos,
Vel lætam atque hilarem, pertimeam lares.



IA-

JACOBI SADOLETI

CARMEN.

DE LAOCOONTIS STATUA.

Ecce alto terræ e cumulo, ingentique ruinæ
Visceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laocoonta dies aulis regalibus olim
Qui stetit, atque tuos ornabat, Tite, penates.
Divinæ simulacrum artis: nec docta vetustas
Nobilius spectabat opus. Nunc alta revisit
Exemtum tenebris redivivæ mœnia Romæ.
Quid primum summumve loquar? miserumne parentem
Et prolem geminam? an sinuatos flexibus angues
Terribili aspectu? caudasque, irasque draconum,
Vulneraque, & veros saxo moriente dolores?
Horret ad hæc animus, mutaque ab imagine pulsat
Pectora non parvo pietas commixta tremori.
Prolixum vivi spiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, & sinuosi sorbibus ora,
Ternaque multiplici constringunt corpora nexu.
Vix oculi sufferre valent, crudele tuendo
Exitium, casusque feros: micat alter, & ipsum
Laocoonta petit, totumque infraque, supraque
Implicat, & rabido tandem ferit ilia morsu.
Connexum refugit corpus, torquentia sese
Membra, latusque retro sinuatum a vulnere cernas.
Ille dolore acri, & laniatu impulsus acerbo
Dat gemitum ingentem, crudosque avellere dentes
Connixus, lævam impatiens ad terga chelydri
Objicit: intendunt nervi, collectaque ab omni

Cor-

Corpore vis frustra summis conatibus instat.
Ferre nequit rabiem, & de vulnere murmur anhe-
lum est.
At serpens lapsu crebro redeunte subintrat
Lubricus, intortoque ligat genua infima nodo.
Crus tumet, obsepto turgent vitalia pulsu,
Liventesque atro distendunt sanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera sævit,
Amplexuque angit rabido, miserandaque membra
Dilacerat: jamque alterius depasta cruentum
Pectus, suprema genitorem voce cientis,
Circumjectu orbis, validoque volumine fulcit.
Alter adhuc nullo violatus corpora morsu,
Dum parat adducta caudam divellere planta,
Horret ad aspectum miseri patris, hæret in illo:
Et jam jam ingentes fletus, lacrymasque cadentes
Anceps in dubio retinet timor. Ergo perenni
Qui tantum statuistis opus jam laude nitentes,
Artifices magni, quanquam & melioribus actis
Quæritur æternum nomen, multoque licebat
Clarius ingenium venturæ tradere famæ:
Attamen ad laudem quæcumque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, & summa ad fastigia niti.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris
Eximii, & vivos spiranti in marmore sensus
Inserere: adspicimus, motumq; iramque, doloremq;,
Et pæne audimus gemitus. Vos obtulit olim
Clara Rhodos: vestræ jacuerunt artis honores
Tempore ab immenso, quos rursum in luce secunda
Roma videt, celebratque frequens, operisque vetusti
Gratia parta recens. Quanto præstantius ergo est
Ingenio, aut quovis extendere fata labore,
Quam fastus, & opes, & inanem extendere luxum!

JO. BAPTISTÆ AMALTHEI

ECLOGÆ.

I. LYCIDAS.

His deploratam in silvis, nemorumque latebris
Dicemus Lycidæ Musam, quem flumina circum,
Quem flevere suo spoliati gramine colles.
Tu modo, cui patriæ assurgunt jam libera regna,
Aureaque æterno revocantur sæcula mundo,
Cosme, ades, & nostris nunc primum allabere cœptis.
Ipse tibi Pario ponens de marmore templum
Graminea in ripa, qua Thuscus labitur Arnus,
Velocis quondam instituam certamina cursus.
Illic victor ovans, & præmia debita laudi
Accipiet, populisque suos testatus honores,
Victrices referet Tyrrhena per oppida lauros.
Interea agrestes ne dedignare Camœnas.
Pallida cedebant venienti sidera soli,
Cum Lycidas jussus terras lustrare repostas,
Effudit miseros extremo hoc carmine questus.
Formosi colles, & nymphis cognita rura,
Et liquidi fontes, atque addita fontibus antra,
Silvarumque valete umbræ: quæ dulcia nobis
Otia, quæ caros olim peperistis amores.
Jam me complexu eripiunt fata impia vestro,
Ut videam iratas errantia monstra per undas,
Desertoque iterum mœstos in litore questus.
Quod si quando ima audistis sub valle canentem
Pastorem Lycidam, teneros dum pasceret agnos:
Idem si tenui vobis allusit avena:

Hoc

Hic tandem querar: & vacuo resupinus in antro.
Te fugiente die, te decedentibus astris
Tunc, Amarylli, canam. Sed jam his divellor ab agris.
Rura valete iterum: sic vobis mela genistæ,
Sic inarata graves tellus effundat aristas:
Pabulaque ut longo tondent sub sole juvenci,
Exigua sic nocte novis ros vestiat herbis.
Aurea mala prius sterili nascentur in alno,
Atque inculta ferent mites dumeta racemos,
Quam vestri curam abjiciam. Tamen altera rura
Ipse colam audaci permensus cærula pinu.
Ergo & oves custode alio per pinguia prata
Errabunt, pastæque simul cava in antra redibunt.
Tuvero spes fida gregis, quænam arva pererres
Infelix aries? quis te in convalle reducta
Nunc molliviola, croceis nunc floribus ornet,
Gramineosque toros viridi de cespite ponat?
At vos o lauri, quarum fragrante sub umbra,
Et nostra insolitis caluerunt pectora flammis,
Nostraque Mænalios meditata est fistula cantus:
Sic ver assiduum foveat, nec frigora lædant,
Neve unquam læto rami spolientur honore.
Ipsi etiam auratis assurgant cornibus amnes
Supra Indum, & Gangem: lacrymis quos sæpe profusis
Auximus, & nostro late succendimus igne,
Cum me ad delicias, formosa Amarylli, vocares.
Nunc vero, quoniam superi tot gaudia nobis
Invidere, trucis tentare pericula ponti,
Et Pyreneo considere vertice certum est.

ACON.

2. ACON.

O qui Dictæi statuat me in vertice montis,
Aut fortunatos Erymanthi sistat ad amnes,
Ut saturis panacem calathis, ut molle cyperum,
Dictamumque legam, & fragrantia germina myrrhæ:
Et relevem infirmos artus languentis Hyellæ.
Illa quidem vix ægram animam sustentat anhelo
Pectore, & indignis singultibus interrumpit.
Nec vis ulla potest sævum lenire dolorem.
Illam etiam lacrymantem, etiam sua fata querentem
Stellarum vigiles ignes, & primus Eous,
Et sol Hesperias vidit devexus ad undas.
Sol pater, æterno cœlum qui lumine lustras,
Et quæcunque parit tellus, vegetasque fovesque,
Affer opem, & mœstam auxilio solare puellam.
Jam tibi Acon teneras vicina ad flumina lauros
Inseret: atque ut nil unquam surgentibus obstet
Frondibus, avertet glaciem, & defendet ab æstu.
Has tibi Acon. At si macies, si pallor Hyellam
Liquerit, & niveos decorarit purpura vultus,
Ipsa feret, cum ver nitidis se floribus ornat,
Ipsa feret, mites cum stringit vinitor uvas.
Scilicet & viridi in ripa, qua se hospita densis
Extendit ramis arbos, altaria ponet,
Semper flore novo, semper quæ vestiat herbis.
Illic agrestum chorus, & vicinia ruris
Sacra feret, supplexque tuos cantabit honores:
Straveris ut quondam iratis Pythona sagittis,
Tinxeris & fœdo victricia tela cruore.
Mille tibi aeria pendebunt spicula quercu,
Mille arcus, atque apta suo venabula ferro.
At vos, quæ nemura, & rorantia fontibus antra
Incolitis, Nymphæ, vestras si sæpius aras
Verbena, primisque rosis donavit Hyella,
Et dedit aureolis insignia serta corymbis,
Vos ferte Eoos ditantia cinnama lucos,

Feli-

Feliceınque Arabum messem, Assyriosque liquores.
Vos ægram resovete, & tristes pellite morbos.
En virgo, exanimis virgo tabescit: & ille,
Ille decor roseo jam jam defloruit ore.
Qualis purpureus secreta in valle hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum
Eduxit largo rore, & felicibus auris,
Si cœli invasit vitium, aut immanior auster,
Paullatim læto formæ spoliatus honore
Deficit, & moriens arentibus incubat herbis
Nunc etiam insuetos testantur rura dolores,
Et desolatis squallescunt pabula campis.
Pro viola mediis horret paliurus in agris:
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrso:
Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas:
Et desunt nemori frondes, & gramina pratis.
Fons quoque desiliens prærupti tramite clivi
Contraxit liquidas nunc terræ in viscera venas.
Et desiderio formosæ accensus Hyellæ,
Vix fertur tenui per lævia saxa susurro.
Abde caput miserande, & fracta turbidus urna
Muscoso occultare situ, cæcisque latebris:
Non o quæ vitreis tecum colludat in undis.
Abde caput miserande, cavoque inclusus in antro
Et lucem indignare, & aperti lumina cœli:
Non o quæ blando currentem carmine sistat:
Non o quæ dulces latices dulci hauriat ore.
Crudeles morbi, vestro de semine labes
Insedit roseisque genis, roseisque labellis,
Dejecitque decorem oculis: & sævior eheu
Ingruit, & miseram silvis avertit Hyellam.
Ah ne dira lues contagia proferat ultra:
Ah ne artus ultra, pallentiaque occupet ora.
Parcite jam tenerisque genis, tenerisque labellis:
Et color, & pulchræ redeat sua gratia formæ.
Tu vero, mea Hyella, meæ pars altera vitæ,
Pone metum: en tibi Pœonios fert munera succos
Ipsa Pales, alacresque ferunt sua dona Napææ,
Co-

Costumque, Illyricamque irim, vescumque papaver:
Quorum ope, & effeto fugiant e corpore morbi,
Et placidus fessis obrepat somnus ocellis.
Jamque pedem in silvas referes, notosque recessus:
Adventuque tuo fonti cursum uberis undæ,
Et nemori frondes, & pratis gramina reddes,
Et fæcunda novis ridebunt frugibus arva,
Et tibi odoratos submittet terra colores.



F I N I S

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Selectæ Historicorum Conciones, & Poetarum tum Veterum, tum Recentiorum Selectissima Carmina pro Humanitatis, & Rhetoricæ studiosis. Pars, prima, & secunda, &c. Stampate* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, & buoni costumi, concediamo Licenza a *Francesco Pitteri* Stampator di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 19. Agosto 1771.


(*Sebastian Giustinian Rif.*
(*Andrea Tron Kav. Rif.*
(*Sebastian Foscarini Kav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 72. al nu. 598.
Davidde Marchesini Segr.

Regist. al Mag. contro la Best. in Lib. a Ca. 31.

Andrea Grattarol Seg.

MAG 2018249


Digitized by Google

